Theodore Besterman

Coll. 2 P III



31



Colloc
2 P IV

Digitized by the Internet Archive
in 2009

https://archive.org/details/aedesbarberinaea00teti



ΧΑΡΙΝ ΛΑ-
ΒΟΝ ΜΕΜΝΗ ΜΟ
AEDES
BARBERINAE
Inuentor
Camillus Cungius

# AEDES
# BARBERINAE
# AD
# QVIRINALEM

A' COMITE HIERONYMO TETIO PERVSINO

DESCRIPTÆ.




ROMAE, Excudebat Maſcardus, MDCXLII.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

*Io. Bapt. Alt. Epiſc. Camer. Viceſg.*

IN Ædium Barberinarum Deſcriptione Comitis Hieronymi Tetij, iuſſu Reuerendiſſimi P. Magiſtri Sac. Palatij Apoſtolici, à me perlecta, nihil comperi aut Catholicæ Fidei, aut morum honeſtati aduerſum: eamque dum optimè commendat elegans, accurata, & ad prudentiæ normam exacta ſcriptio, digniſſimam exiſtimo, quæ Typis mandetur. Romæ. die 9. Auguſti. 1642.

*P. Ludouicus Gabrielius è Societate Ieſu.*

Imprimatur,

*F. Reginaldus Lucarinus, Sacri & Apoſtolici Palatij Magiſter.*

# EMINENTISS. PRINCIPI
## CARDINALI
# ANTONIO
## BARBERINO,
### S. R. E. CAMERARIO.

*HIERONYMVS TETIVS FEL.*

ADSTRICTAM ampliſsimarum Tui Aedium Deſcriptionem, Princeps Eminentiſsime, quam ego veluti Aedificium alterum, atque animi domicilium, ad Amici deſiderium leniendum,ingenio conſtruere ten-

taui; tuam eſſe, qualiſcumque ea ſit, Tibique iam adiudicatam, nemo ignorat; quippe in ipſo Aulæ tuæ ſolo, atque ab homine Tibi addicto excitatam, conſequente fundi proprietatem ædificio, eiuſque tranſmiſſa in Dominum poteſtate. Ea ratione, ni fallor, meam hanc narratiunculam oculis perluſtrare non eſt dedignatus Pontificum ſapientiſsimus VRBANVS, & meas interim aliquid putare nugas: quas quidem, ea luce perfuſas, haud mihi dubitandum fuit, in publicam hanc deferre, feliciſsimis nimirum tuis auſpicijs, ac, Te annuente, tuis ipſis Excellentiſsimis Nepotibus offerre; & quia ipſe, qui hæc ſcribo, eademque, quæ referuntur, in eorum Patrui poteſtate ſumus; & quia Patruos, magnum in primis, eumdemque dignitate Maximum, hìc illis obijcio, ad imitationem, ſuſpiciendos. Te verò, qui me ad ſenectutem bonam tam benignè, ac feliciter foues, hoc ipſum Opus inſpe-

inſpectare identidem, per otium, aueo, ac rogo; non quòd ex eo iucunditatem aliquam Te percepturum confidam; ſcio enim ſingula, quæ deſcribuntur, longè maiora eſſe, quàm, quæ, exornato licèt ſtylo, nedum rudi hoc meo ac rubiginoſo, exprimi poſsint: ſed vt, ſi quando per ſenium, aut valetudinem ab Aedibus tuis abeſſe cogor, tum quoque animo ijs propiorem adeſſe intelligas; &, decreſcentibus corporis viribus, in tui obſequium numquam decreſcere voluntatem. Vale. Kal. Auguſti. CIↃ. IↃ. C. XXXXII.



# CAROLO, MAPHAEO, ET NICOLAO BARBERINIS,

## Excellentiſsimis Principibus, ET VRBANI VIII. PONT. MAX. EX GERMANO FRATRE PRONEPOTIBVS.

*Hieronymus Tetius Fel.*

BARBERINAS Aedes, ad Amicorum quorundam oblectamentum, pinguiore calamo à me deſcriptas, vt oculis omnium exponerem, Excellentiſsimi Principes, ea impulit me, quæ maxima eſt apud omnes, auctoritas; hoc præ-

præſertim conſilio, quòd videbam, haud omittendam inſperatam meis viribus occaſionem, qua palàm & publicè profiteri poſſem, quantum Barberinæ Domui, innumeris propè beneficijs auctus, debere me ſentiam. Accedit prætereà, quòd nulla planè dignas luce lucubrationes meas, clariſsimorum Virorum picturis illuſtrari maximè intelligerem, & quidquid faſtidij oratio inanis afferret, Imaginum pulchritudine, & maieſtate facillimè abſterſum iri. Ecquid autem litteratorum cenſuram, aut ſupercilium formidarem homo, qui locum inter eos non ambiam; ac tenui præſertim ſcriptionis ſtylo, quem prima iam olim ætas parare potuit? Repueraſcat ſanè ingenium, modò beneficiorum memoria numquàm ſeneſcat. Porrò veſtras Aedes, à me vtcumque deſcriptas, Humaniſsimi Principes, Veſtro etiàm nomine inſcribendas fuiſſe quis neſciat? Maiorum veſtrorum virtutes, in ijs perluſtrandis facilè reco-

gno-

gnoſcetis, qui eorumdem veſtigia alacres legitis; præeunte nimirum optima Matre, quæ longa ex Heroum ſerie ipſa cum luce ſecum duxit omnium virtutum ſemina, prudentiæ ac pietatis in primis; de quibus, cultu ac ſtudio digniſsimos in ſemet produxit æternitatis fructus; earumq; inde vberrimam ſegetem reproduxit in Filios, vegetaque ingenij vi, magnanima fouet atque alit: quam quidem haud oportuit ad eoſdem inſtituendos litteras diſcere, quod olim Corneliam Gracchorum Matrem feciſſe comperimus; cùm primùm à pueritia litterarum ſtudijs impensè ipſa aſſueuerit. Valete, Barberinæ Domus, & Chriſtianæ Reipublicæ bono. kal. Auguſti. CIↃ. IↃ. C. XXXXII.


PICTRARVM INDEX


Andreas Camaſs. delin.
Io. Federic. Greuter incid.

A D

# LVDOVICVM CANTAGALLINAM,

## IVRISCONSVLTVM.

GRATVLATVS ſum nuper Amicis omnibus, te incolumem ex Germania redijſſe; nunc tuus in Patriam reditus nouam mihi cauſam præbet, qua Patriæ ipſi iterum gratuler; cùm enim te, ſuperioribus annis, Vir clariſſime, magnis licet ſtipendijs, ad Patauinum Gymnaſium euocatum, munus declinaſſe audiuimus, & Ampliſsimo Baleoneo Præſuli, toto quadriennio, adhęſiſſe, dubitare profectò potuimus, Iuris interpretandi, docendiq; prouinciam prorſus abieciſſe: at modò cùm te inter Ciuium tuorum complexus videam, confido, precibus omnium fatigatum, tandem ſtudia

reſumpturum , &, ad patrium Gymnaſium illuſtrandum, tuam operam non defuturam. An verò tu Pandectas interpretari etiam non poſſis, vt olim Vir præclariſſimus Ioſephus Nerius? qui non modò illum, ſed Alciatos ipſos, & Budæos, eruditione atque eloquentia, æmularis: quàm vellem equidem, noua hæc ſtudia in Patria noſtra iterùm excitari, quæ apud exteros penè omnes, præſertim Germanos, maximè florent! Sed vltra de te loqui prætermitto, ne laudibus, licèt meritis, onerem modeſtiam tuam; quibus equidem, vt te cumulandum ſentio, ita ad eas referendas imparem me prorſus agnoſco. Mitto autem ad te Barberinarum Aedium Deſcriptionem, rudibus ſanè delineamentis, & quaſi è mortuo carbone depictam. Etenim, cùm Romæ eſſes, ſuperioribus diebus, & luſtrare eas maximè cuperes; Ego, & Torellius noſter, Vir Ciuium Eruditiſſimus, fruſtra te ad diem dictam expectauimus, grauioribus negotijs detentum: itaque rem tibi haud ingratam facturum me credidi , ſi te , vel abſentem , in auguſtiſſimas Aedes introducerem , quod tamen abſque incommodo tuo fiet. quamquam vereor, ne, quò Romæ gratiùs, eò grauiùs per me iſtic oculis , atque auribus videatur! Tu verò iſtiuſmodi nugas facilè excuſabis , ſi me ſcribentem ex affectu potiùs, quàm ex oratione reſpicies.

AEDES

AEDES in ipſo prope Quirinali vertice, hoc eſt, in ſaluberrima Vrbis regione, haud longè à Pontificijs Hortis, quadruplici fronte conſurgunt: ad Septentrionem latè extenduntur; atque Aquiloni Romano, ἀλεξικάκῳ, innumeris feneſtris patent; ad Meridiem tantumdem præminent; Orientem, & ſi non tam amplè, optima tamen ſui parte ſpectant; Auſtrinos flatus, Pontificiorum Hortorum oppoſitu, planè à ſe procul arcent. Multa autem in Aedibus membra; primò nobis ſeſe offert ipſa Aedificij facies, marmoreis cruſtis ornata, columnis vndique, atque epiſtylijs eleganter vſque ad proiecturam diſtincta, quam duplex zona emblematis, atque imaginibus, ad antiquam ſpeciem, & magnificentiam exculpta, interſecat; bis ſeptem arcuatæ feneſtræ copioſiùs illuſtrant, podiumque medium, columellis lapideis, tornatili, ſeu cratitio veluti opere, pulchrè admodum elaboratum exornat. Hinc Pontificium Inſigne, Pario marmore exculptum, tamquam Aedificij monile, pendet atque emicat. Porrò anteriori huic Aedium parti duo membra adhæreſcunt, quæ hinc atque illinc in Vrbem æqualiter exporrecta, in Aream, & Porticum ampliſſimam, triplici pilarum nexu, concameratam, adeuntes populos, quaſi duo brachia, excipere, & complecti videntur.

Me-

Mediam Porticum Fons occupat ; in quo Sol , quam traxit aquarum copiam , in tenuiſſimum veluti velum ſoluit , atque explicat , ſeſeque obumbrat . hunc inſignis Apis circumuolat , aquam, quam bibit, mellifluam refundens, Aedium Domini opes largientis imago ; atq; vnà ſiphunculi miſcent iucundiſsimum murmur . In læuo Porticus cornu , cochlides lapideis columnis ſuffultæ, in dextero, ampliores ſcalæ, ex impluuio quadrato , marmoreis pariter columnis extructo, lumen recipiunt, aditumq; in ſuperiorem Domum præbent. Rapiunt adeuntium oculos antiqua Simulachra hominum, & ferarum ; præſertim toruis oculis nobilis Leo , cuius colla armosq; generoſæ veſtiunt iubæ; qui dum ante veſtibuli limen excubat, nec Palæſtino illi de gloria concedere videtur , de quo egreſſam dulcedinem è Sacris litteris accepimus.hunc tamen marmoreum Excubitorem, ſi quiſquam imprudens contempſerit , non ita longè viuit, ac rugit impauidus Alter, ex Lybicis oris huc nuper aduectus, vngue & dente armatus, ferus infeſto, haud ſupplici , iniuriæ memor & vindex ; non obſcuro documento, Expetendam ſemper Principis clementiam, Animum haud temerè irritandum . Sed iam regalem Aulam ingredimur , cuius ampliſſimum fornicem, Petrus Berrettinus, Cortonenſis , raræ probitatis Vir, & Picturæ

ræ miraculum, quàm ſupra Artem coloribus animauerit, aſſequi tantùm coniectura poſſumus: ſiquidem coloratum hoc Cælum, obductis veluti nubibus, in præſens occulitur, quippe nondum retectum ab Authore eſt; vt in eius te admirationem alioſuè rapere nulla mihi facultas ſit, vſque dum id viſere, reducto velo, liceat. quamobrem ex Aula ocyus ad interiorem Domum euocamur. Primò igitur nobis in fronte occurrit ouata veluti Exedra, geminis oſtijs patens, ſummo illa artificio extructa, ac marmoreis vndique Simulacris elegantiſsimè ornata; litterarijs exercitationibus nempè accommoda; quam & olim ego ab ipſo Principe ad hunc vſum commendatam memini. Ad læuam, Procœtones duo ſeſe offerunt, in quorum altero Sacellum panditur, ſacra ſupellectile, non minùs, quàm Cortonenſis Picturis ditiſsimum; cui præeſt, laudatæ Vir pietatis, Horatius Spicarellius, Principis noſtri à Syrmate: tum, hinc atque hinc, innumera propè, & quidem ampliſsima, Cubicula adiuncta ſpectantur. Totidem pariter, ad dexteram, Procœtones, & vtrimque extructa longa ſerie Cubicula. E' Procœtonum poſtremo in Subdiale exitur, lauro, vtroque margine, ornatum; quà mox ad ſummum Quirinalem peruenitur, amœno, mollique compendio. Hinc, quæſo, tantiſper in

Aedes

Aedes oculos conuerte, & aquas, poſtremi cubiculi medio in podio ſurgentes, intuere; ſanè admiraberis tam longum Cubiculorum ordinem, quibus penetrandis ipſa oculorum acies omninò non ſit; atq; exilientes aquæ è Cælo, an ex fonte veniant, ſeriò affirmare non audebis: nec minùs obſtupeſceres, ſi ex Aulæ podio, per ouatam quàm diximus, Exedram, & Subdiale, ad extremam Hortorum partem ſpectares. O' vtinam hìc tibi explicare poſſem

*Arte laboratas veſtes, oſtroque ſuperbo:* *Virgil. Aeneid. lib.1.*

periſtromata holoſerica villoſa, purpureo violaceoq; imbuta colore, ſegmentata, atq; hominum figuris texta, vel belluata attalica; auro vela, argentoq; fimbriata; quibus regalis hæc Domus inſtruitur: profectò videres, ad eam exornandam, Aſſyriam, Phrygiam, Babylonicam acus, Gandauenſem, atque Atrebatenſem induſtriam, ingenioſiſsimè conſpiraſſe. Lubens nobiliſſima tibi aulæa cærulea expanderem, quæ ſuperiore anno, perquàm affabrè fruticibus, Cydonijs, ac Punicis malis, Auibus, ludijs aquis, aquarijs vaſis depicta conſpeximus: quæ tam artificiosè, ambulacra, perticis ligniſque longo ordine contexta, cratibus interdum teſtudineata, crebris quadratiſque pedamentis ſuffulta, vuis pomiſq; onuſta, referebant; vt iam, non Domi, ſed in Hortis ipſis veriſque

riſque

riſque pomarijs inambulare nobis videremur. Cæteram verò pretioſam, & planè regiam Principis ſupellectilem enarrare quis poterit? ſedilia aurata innumera, lectos, ſericis tentorijs incluſos, & peripetaſmatis conformes, anaclinteria, abacos, candelabra, aliaq; argentea vaſa, ex ebeno, & ebore ſcrinia, auro, gemmiſque cælata? ingenuè dicam, Naturam, atque Artem, æmulas, ad illa omnia extruenda, totis viribus contendiſſe. Nunc verò, ſi libet, in inferiores Aedes deſcendamus, in ampliſſima, nimirum, ac perquàm multa ad Aquilonem ſpectantia Cubicula, in quæ cùm te receperis, abeſſe te etiam ab ipſis ædibus putes. Hæc itaque Princeps frequentiùs colit, cùm reliqua pars Aedium negotioſorum hominum ſtrepitu, auliciſque rumoribus perſonat. Huc enimverò quidquid ingenioſi, quidquid elegantis eſt in Pictura, noſtro, aut ſuperiori æuo, id omne congeſtum videbis; Raphaëlis, inquam, tabulas, Corrigij, Titiani, Petri Peruſini, Ioſephi Arpinatis, Rheni, Lanfranchi, Centenſis, Cortonenſis, Sacchij, Camaſæi, aliorumq; magni nominis Artificum. ne autem ſatietatem, aut faſtidium pictura faciat, Signa pulcherrima, atque antiquiſſima, vbique diſpoſita, mirum quantùm ſpectantium oculos recreant, atque oblectant. Tu verò, qui ſtudijs potiùs oblectaris, & duce-

ris, in proximam priuatam Bibliothecam introduci deſideras; quæ quidem, fatebor ingenuè, tamquam intimum vnius Principis Muſæum, à me non adhuc eſt diſtinctè perluſtrata. Scio tamen innumeris penè Libris inſtructam, græco, latino, italico, gallico, hiſpanico, germanico ſermone conſcriptis; quorum ſingulos Princeps ipſe, quo præſtat ingenij acumine, incredibile dictu eſt, quàm facilè, & feliciter percurrat, exceptoque tantùm oculis extero idiomate, perquàm cultè, italicè reddat, ac ſi ea dialecto impreſſi haberentur. Haud hinc longè, Odeum ingredimur, vbi ad recreandum Principis animum, negotiorum mole interdum defatigatum, Aloyſio Rubeo, noſtri æui prçclariſſimo Phonaſco, & Principis noſtri familiari, muſicam pugnam moderante, Lauretus Eques, Paſqualinus, Blanchius, ſuauiſſimis inter ſe vocibus certant; vbi Marazolius Pſaltes, alijque nobiles Fidicines, Tibicineſquè, diſcordium neruorum concordia, non modò audientium aures, animoſque ad ſeſe alliciunt, ſed & rapiunt, ac pertrahunt. Hinc per ornata Cubicula, in non ita amplam Aulam exitur, in qua Florentinorum in primis Illuſtrium Virorum imagines ſpectare licet; quibus Ludouicum Aurelium quoq; noſtrum humaniſsimus Princeps inſeri voluit, & quidem à Sacchio tam ingenioſè

effi-

effictum, vt prorſus reuixiſſe Virum Clariſſimum putes.

Sed iam te video, amore Sapientiæ incenſum, ad editiores Aedes feſtinatò contendere; & in ampliſſimam Eminentiſsimi Principis Cardinalis Franciſci Barberini Bibliothecam auidè prouolare: noſti ſiquidem, illuſtre hoc Muſarum domicilium non ſolùm Diſciplinarum omnium Codices vetuſtiſſimos continere, ſed & celebriorum Virorum ſcripta, & authographa, publica luce digniſſima, ſua tamen ſorte, hac ipſa in luce, contenta. Hìc tu videas non minùs maximam Librorum copiam, quàm elegantiam, atque admirabilem ordinem, quo ſunt, ſuis quique claſsibus, per ampliſsimi teſtudinati Conclauis latera, in hunc ferè modum diſpoſiti: Surgit, ſuperimpoſita contignatione, ingens, & nobile pluteorum ædificium, nigræ nucis aſſeribus, affabrè dolatis, ac decorè ſegmentatis, compactum; ſtriatis vndique columnis ornatum. vnumquodque intercolummium quadratum extruit pluteum, totaque ſubſtructionis baſis Librorum receptacula in ſe continet: ſuperior ſtylobatæ pars, inteſtina abſcondit ſcrinia, quorum operculum tabula pariter eſt, legentibus, ac ſcribentibus accommoda: in his manuſcripti Codices, græca in primis, & quacumque alia extera oratione, conteguntur: huiuſmodi ſcripta cuſtodiunt pariter ſemi-

 ſtyli

ſtyli interiores ſulcati, columnis exterioribus reſpondentes: ſemiſtylorum verò æquè, ac columnarum, epiſtylijs imponitur coronis, quæ, ante ſuperna librorum loculamenta, bipedalis latitudinis ſuſtinet ambulacrum, ferreo veluti tigillo, ferreiſque columellis circumuallatum: intercolumnia fermè triginta ſunt, quæ ſingula diuiduntur ſepteno librorum ordine: ſuperiora verò loculamenta vndetriginta, ſingula ad imam fornicis curuaturam producta, quinariam tenent librorum ſeriem: grandiores libri inferioribus, minores ſuperioribus inſident gradibus. Primarias ſedes primo numero obſignatas, ſacra occupant Biblia: hebraica, grę-ca, latina, aliaque huiuſmodi multiplici lingua tranſlati ſacroſancti Codices: ex quibus, tamquam ex vna ſcaturigine, omnes promanant diſciplinarum fontes, & ſapientiæ riui. Sequuntur Patres omnes, Gręci, & Latini: ſacrarum paginarum Interpretes; Controuerſiarum de Fide Diſceptatores; Concionatores; Theologi ſcholaſtici, & Morales; ſacri Ritualium librorum, tàm Græci, quàm Latini Scriptores; religioſi Critici. At quoniam mens pietate imbuta, facili negotio, Iuſtitiam adminiſtrat, Ius Canonicum occurrit, ac Ciuile; cui adhę-ret Philoſophia, Contemplatiua, ſcilicet, Naturalis, Moralis, Politica, Oeconomica, tum & Mythologica; ideoq;

ma-

magnus Philoſophantium accedit cumulus. Naturali autem Philoſophiæ, quæ gignentem Naturam perſpicit, proximi inſident herbarum, florum, plantarum, agrorumq; cultores: mineralium inſuper ſtagnantium, aquarum, fontium, eorumque virtutum Scriptores: quarum rerum cognitione inſtructi, facillimè ad Medicinæ agnitionem, atque artem introducimur: addunt ergo ſeſe Medici Theoretici, Praxeosq; artis Doctores, Chirurgi, Empyrici. Tum & quæ eiuſdem Philoſophiæ pars Matheſis; cumq; ea præſtò ſunt Geometræ, Aſtronomi, Muſici, Arithmetici; quique ab ijs pendent, Architectonici, Optici, Catoptici, Aſtrologi, Phænomeni, Geographi, Coſmographi, Chorographi, Topographi; qui pariter ad rectam Hiſtoriarum cognitionem nos deducunt: Veniunt itaque Græci, Latini, Itali, & exteri omnes veteres, recentioreſque Annalium, Hiſtoriarumque Scriptores, Prouinciales, Vrbani: Sacræ inde Hiſtoriæ, earumdemque Epitomographi, ab Orbe condito, ad noſtra vſque tempora: inde Pontificiæ peculiares Hiſtoriæ; Cardinalium geſta; Sanctorum Virorum Vitæ; Commentarij inſuper, religioſarum omnium Familiarum, Eccleſiarum, ſacrorumq; Militarium Ordinum, inſtitutiones, origines, leges, incrementa, decrementa referentes: eaq; poſt, Hiſtoriæ adiutrices, Chrono-

nolo-

nologicæ narrationes. Interſunt mox, longo ordine, Dialectici, Rhetores, Oratores, Politiorum litterarum Scriptores, Antiquitatis Indagatores, Critici: tum plures Poëtarum cœtus, Latini, Græci, Etruſci, Galli, Hiſpani, cæterique omnes, quorum linguæ metrum, & numeros admittunt: claudunt deniq; agmen Grammatici, Philologi, & huiuſce generis Græci, Latini, Hebraici, Chaldæi, Arabes, aliarumque linguarum varij Scriptores. Omnes adeò Codices tam frequentes ſunt, de re qualibet, ac materia, Auctorum fermè, quotquot vllo vmquam tempore excuſi habentur; vt, ſi recenſendi ſingulatim forent, ſola eorum nomina Volumen integrarent ſatis amplum. Intereà, miro artificio, quem Librum quæſieris, quàm celerrimè inuenies. porrò hac in re libraria, ab ipſis Libris aptiſſima deſumpta eſt ratio Syllaborum; promptus enim tibi Nomenclator eſt, Auctorum nomina accuratiſsimè indicans; quos poſthac ob oculos ponunt, non lemmata diſciplinarum pendentia, ſed, eorum loco, ſingillatim loculamentorum numeri: mox, in quocumque Librorum ordine, elementa ſingulatim præfixa leges, videaſque vnumquodque Volumen, in tergo, Auctoris nomen geſtans, numerumque, qua in ſede quiſque Liber maneat, intrantibus oſtentans. Locupletiſsimo autem

In-

Indici, euocata arithmetica nota, elementum, numerus fidiſsimè reſpondent. Iſta verò innumera, penè dixerim, Librorum multitudo, eadem planè munditia, ac ſolertia compoſita, parilique integumento, & inuolucro contecta, ænea tranſennula, atque obice inaurato includuntur. In dexteris Conclauis angulis, adeuntibus, intercolumnia, ſoliditatis, & ornamenti gratia, videntur occluſa; verùm, ſi manus admoueas, inexpectatas aperiunt cochleas, aditumque tibi, atque aſcenſum præbent ad ſupernas librorum ſedes, & ad ſeptena arcuata lumina, quorum

*Hibernis obiecta Notis, ſpecularia puros*
*Admittunt Soles, & ſinè fæce dies.* *Martial. lib. 8. Epigr. 13.*

In ſiniſtro ſuperiori angulo introëuntibus, inopinatò pariter, plicatiles reſerantur valuæ, quà in ampliſsimum alterum Muſæum ingredimur. hìc quamplurimi ſeruantur, multipartitis forulis, maximi pretij Librorum non vulgatorum archetypi, & quidem nonnulli ſoluti, ac nudi, in faſciculos dumtaxat complicati. Cæterùm, quod & ſtudioſorum deſiderium vberrimè expleat, referta hìc cernuntur multa, & ingentia Scrinia, Numis æneis, argenteis, aureis, grandiori forma, media, parua, multiplicique ſerie, concluſis, pulchritudine, multitudine, paucitate, pretio admirandis: horum

rum alij Imperatorum imagines referunt; alij eorum inſignia, emblemata, animorum ſenſus, ab ipſo Cæſare Dictatore ſeriei deſumpto exordio, eaque producta ad Magnum vſque Conſtantinum, qui, facta Pontifici Italiæ atque Vrbis donatione, Imperij regiam Byzantium tranſtulit: alij, ab eodem noua inita ſerie, Græcorum Imperatorum oſtendunt effigies, ad poſtremum vſq; Conſtantinum, quo cum Orientale Imperium, à magno ipſo Conſtantino ortum, defecit. Iterum alij Iconas habent in Occidente Imperantium. Videntur prætereà Numiſmata, chronico ordine, ac longiſsimo digeſta, quæ traductæ Coloniæ, Municipia, exterę Ciuitates, in Romanæ Reipublicę atq; Imperatorum obſequium, cudere. His alia adijciuntur, aeris pariter, argenti, auriq; notæ, priſcas præſertim recenſentes Quiritum Familias, à Fuluio Vrſino deſcriptas: effigiati itidem Reges, Principes, Dynaſtæ, à Romanis ſubacti, belloque Ciuitates, Prouinciæq; deuictæ. Hæc omnia, quæ numerauimus penè innumera, maxima quidem admiratione digna ſunt; ſed incredibile dictu eſt, quàm longè maximè demiremur ora, & ſigna eorumdem Imperatorum, Matronarumq;, generis ſplendore, & ſpeciei decore inſignium, pretioſiſsimis in lapillis exculpta, adeòque interdum, tam breui ſigillo,

au-

aureis anulis incluſo, vt minutulæ muſcæ ala videatur maior, ſuis tamen omnibus completo numeris. Perquàm multos inſuper admiramur numulos, gemmeoſque lapillos, Apibus gemmatos, veluti Principum noſtrorum gentilitio ſtemmate decoros, ea tum veteri ſignatos ferrea tempeſtate; vt aurea ſcilicet noſtra hæc tempora præſignarentur. Hìc ſpectatur fidus Achates, achate in lapide excuſus: caſta hìc, & candida Dido, Sichæi veluti in rogo, flammante in pyropo exculpta: hìc Cleopatra, Erythręi vniones liquans, Erithræo in lapillo effigiata: Venus hìc, æſtuans ardore, chriſtallino in lapide, gelu, frigoriſq; vehementia concreto, cęlata. Quàm multis, miriſque modis elaboratus cernitur Onyx! niueum in eo Imaginis pectus ab indiuiduo fuſco colore eminet; pellucidulum ibidem velum explicatur; ex eodem fuſco eliciuntur oculorum pupillæ; candor idem format genarum ſplendorem, frontis ſerenitatem; ipſaque ſubnigredine candor identidem vmbratur. Sexcenta inſuper huiuſmodi opuſcula, materia, & arte pretioſiſſima, ſimili luſu, nitidiſſimis in lapillis, elaborata, exculpta, inciſa, impreſſa, maxima omnium admiratione, conſpiciuntur. At conuertamus hinc ad pretioſiora oculos, animoſq;: quid enim pretioſius, quàm naſcentis Eccleſiæ ſupel-

lex, qua nimirum elanguens propemodum noſtra pietas, ſalutari recordatione, ad illa ſui viuaciſſima exordia reuocatur: ſpectes primæuos ſacros calices, ſimplici, tenuiq; argento conflatos, luſtricum aſpergillum, & vas, thuribulum, thuris acerram; quibus, & ſimilibus rebus veteris impietatis inſignia comparata nullo in numero habeas; Icunculas ſcilicet, quæ hìc pariter, veluti antiquitatis monumenta, videntur, ſupremas ęneas tabulas, ſepulchralia vaſa, lintea funeralia, illibata videlicet flammis asbeſtina inuolucra, ad ſecernendos cadauerum cineres à rogi puluere.

Rapit tamen oculos ſepulchralis hìc ſeſquipalmaris Vrna, parata olim reponendo, vt ego conijcio, Alexandri Seueri imperatorio Cineri: eſt ſanè illa, encauſtico opere violacei coloris, Artificis manu tam affabrè facta, vt toreuma verè dixeris; tam pellucida, vt amethyſtum natiuam putes: ore eſt nec anguſto, nec pando, gemina anſa, nullo operimento munita: oblongus venter, ſemicongij capax, ambitur albis imaginibus, pariter encauſticis, ijsq; pulcherrimis; vt eas elaboratas Phidiaca affirmes manu: ſuauiter deſcendit in veluti tornatum pedem, in quo firmiter conſiſtit. At, ò rerum humanarum fallaciæ! in tam pretioſo Vaſculo deſudant labor, & ingenium, vt iterum

rum iterümque ſimul aduſtis pigmentis , electro , vitro , aliaque glutinante materie , in dies obdurandis , Imperator Orbis terrarum exuſtus contineatur, ad diutinam , vt ita dicam , in puluere vitam traducendam : en contentus vento ſpargitur Cinis , & continens inter miracula ſpectatur æternum ! Vrnam hanc ſuffragiorum poſthac dixerim, non feralem, cui datum eſt ſuffragium, hoc in Muſæo collocari, omni Mauſolæo maiori. Viuet tamen quodammodò in hominum memoria, ob hanc ipſam Vrnam, memoratus ſæpè Seuerus : pars namque altera, imaginibus, quas habet Vrna , Seueri ortum oſtendit . Quid enim aliud ſignificat alatus , ſimul & pharetratus Puer , quàm antiquum connubiorum Genium ? Quid Fæmina , Dracunculum in ſinu fouens , quàm Seueri Mammæam Matrem, quæ pridie quàm pareret, ſumma in quiete, vidit ex ſe purpureum naſci Dracunculum? Quid Senex ille, Fæminam, & Anguem intuens, quàm Aeuum , à cuius veluti Regno , viuentium omnium demigrat initium? Quid grauis, & honeſtus Iuuenis, manu cubantis Fæminæ brachium ſuſtinens, quàm Alexandrum Magnum , quaſi puerperam adiuuantem ? cuius in templo , Mammæa enixa eſt Seuerum ; isq; , hanc ob cauſam , perpetuò Ma-

*Lamprid. in Vita Alex. Seuer.*

gno Alexandro diuinos tribuit honores. Quid paruula Lauri arbuſcula, & adulta Perſica, niſi id ipſum, quod in Aedibus Seueri viſum fuerat, cuius natalitio die nata Laurus annoſam Perſicam, quæ iuxta illam erat, infra annum, proceritate ſuperauit? quod omen fuit, Perſas eſſe à Seuero vincendos. Altera verò ambitus pars, nonne eiuſdem Seueri mortem oſtendit? quàm verò breuis ille orbis apertè prædicat, noſtræ vitæ ortum nihil diſtare ab occaſu! cernimus enim eodem in toreumate, in quo modò vidimus parientem Matrem, nunc Fœminam alteram ſarcophagis incubantem, cuius è dextera delapſus decidit tedarum manipulus, qui iam extinguitur, mediam inter Seniorem Virum, haſtile ſuſtinentem, & Iuniorem, inuicem ſpectantes; quaſi referat ille Seueri Imperium, hic quamdiu vixerit Imperator. Proximę his imaginibus hinc, atq; hinc geminæ apparent tanquam Laruarum facies, triſtes ac flebiles. Adſunt & Fici arbores tres, Alexandrinarum nomine inſignitæ, quæ paulò ante Seueri obitum, repentè, ac portentosè, non manu, ſed turbine, propè tentorium euulſæ ſunt. Videmus ibidem, quaſi in numiſmate excuſam, Philoſophantis effigiem: is ori manu admota, nos monet, ſilentium imperans, ne illi turbetur quies, qua eius

ma-

manes ſuperſtitiosè frui exiſtimabatur. Verùm ego maluerim, ingenioſum Artificem expreſſiſſe digito non compreſſa Hominis ſapientis ora; audiremus fortaſſe, quamquam ſilentio amicum, de Principe tamen, non mediocri laude digno, diſſerentem; laudaret ille eius facinora, mores, animi moderationem in rebus omnibus: commendaret ſtomachum in fures Miniſtros, in fumi venditores, in Caſtrenſes, ab ipſo præſertim, qui præceſſerat, Heliogabalo fauore, ac dignitate ornatos; quos identidem Seuerus exauctorabat: prçconio proſequeretur eius familiaritatem cum Viris ſupra omnem laudationem inſignibus, Domitio Vlpiano, Iulio Paulo, Pomponio, Legum peritiſſimis; Fabio Sabino, qui Cato ſui temporis; Claudio Venato, Oratore ampliſſimo; Catilio Seuero, homine eruditiſſimo; Aelio Sereniano, Quintilio Caio Marcello, morum integritate celeberrimis: audiremus non mediocriter commendatam militarem diſciplinam, & in eadem perpetuò retinenda ſeueritatem; mox encomijs celebratam beneuolentiam, & humanitatem illius in omnes, ac potiſsimùm in ſuos Familiares, quos cunctos adeò diligebat, vt ſçpè ſæpiùs cogitaret ſecum, & deſcriptum haberet, cui quid præſtitiſſet; &, ſi quos ſciret vel nihil petijſſe, vel non multum, vocaret eos, diceretque; Quid eſt, cur

nihil

Lamprid. ibid.

nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me queraris. Referret ille demum, atq; identidem grata voce repeteret auream ſententiam, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* quam adeò adamauit, atque excoluit Seuerus, vt in Palatio, & in publicis operibus præſcribi vbique iuſſerit: Verumenimverò, vt ferebant ea tempora, ſpecioſa fuerint, & probanda ea dicta; nunc autem, Diuino munere, pietate regnante, conſueta, atque innata Barberinis Principibus longè maiora Chriſtianę virtutis ornamenta agnoſcimus: quemadmodum & ſupra Seueri gloriam, ſtipatum ſuſpicimus noſtrum Principem doctiore, ac ſanctiore illuſtrium Virorum conſuetudine; vel vno pręſertim, inſtar Vlpiani, Venati, Sereniani, Romanæ Rotę Auditore Clemente Merlino.

Sed, amabo te, iucundiora intueamur. En Galea ænea, & Lanceæ Mucro; vnica, vel vincentis Annibalis, vel victi Conſulis, ad noſtrum Thraſymenum, cędi quæ ſuperfuere ſpolia; de quibus integerrimam faciunt fidem noti internecione Agri, olim albentes oſsibus, quę iterum iterumque, nouo ſemper vulnere, ligonibus, & aratris percuſſa, periere tandem; conuerſaque demum in glebas, vnà cum tellure reuiruere. Eandem firmant fidem putres aliæ ibidem,

gra-

grauibus pulſatę raſtris, frequentes galeæ; nec minùs id nobis indicant huius galeæ ęnea, non ferrea, materies, cælatura, forma; talibus enim Primipili vtebantur; cuiuſmodi in Veterum Numis galeatas effigies videmus. Hæc bellicę antiquitatis ſpolia Pontifex VRBANVS, Cameræ Apoſtolicæ tum Clericus, è Peruſino ſolo rediens, veluti Trophæum, retulit; profligata nimirum aquarum colluuie, longè lateq; campos, & Oppida Thraſymeno adiacentia depopulante; plus hominum à Barberino Præſule ſeruatis capitibus, quàm à Barbaro Duce cæſis; Peruſinorum animis tanto beneficio obſtrictis, ſecumque adductis.

At redeo ad Bibliothecam: Hanc quidem non ornant inſcriptiones, non Sapientium dicta, non picturæ, non tabulæ, non emblemata, non Statuæ, non denique Hermathena illa, quam Romanæ eloquentiæ Parens ſua in Academia gratiſſimam poſuit: harum rerum omnium vicem abundè ſupplet vna VRBANI Pontificis ęnea effigies; Illa nimirum coniunctum Mercurium ſimul, ac Mineruam refert; Vrbanam ſcilicet Eloquentiam, & Sapientiam, quibus ipſe Tutelarium hìc antiquitatis Numinum fungitur officio; illa Hermeraclam, Mercurium nempè, & Herculem, hoc eſt Ingenium, & Laborem, quibus idem ſalutarem om-

nibus

nibus Sapientiam comparauit: illa Hermerotem, Mercurium inquam, & Amorem, quam videlicet beneuolentiam litterarum ſtudijs apud omnes gentes ſibi Maximus Princeps conciliauit: illa Zenophębum, Simulacrum nuſquam in Antiquitate viſum, Iouem nimirum, & Apollinem, hoc eſt, vtroque maiorem, bonorum omnium largitorem VRBANVM. In tam magna ergo ab illo ornamentorum luce, quid mirum, ſi hìc nitent omnia, antiquitatem redolent, Sapientiam ſapiunt? Huc Princeps ipſe Cardinalis Franciſcus, virtutis amantiſſimus, ſępiùs diuertit, &, à publicis populorum clamoribus, in ſumma Sapientię penetralia ſe recipit. hìc ſibi doctrinarum omnium largiſſimos fontes aperit; vnde mox ſingularem illam prudentiam haurit, ad Chriſtianam Rempublicam adminiſtrandam. at verò interdum, ſi vera temporum ratio in re graui veniat in dubium, deq; ea ambigant Chronici; ad Cimeliarchion peruolans, ipſam numiſmatum ſeriem conſulens, illicò omnem dubitationem abigit, & perſpecta veritate ad Reipublicæ compendium vtitur. Pręſidet Bibliothecæ Vir Clariſſimus Lucas Holſtenius, cuius pręcipuè induſtria, & labore, conquiſitis vndique, Principis Eminentiſſimi iuſſu, lectiſsimis Codicibus, perfecta illa eſt, & ad inſignem amplitudinem redacta.

ċta. Eius pariter curam gerit,& cuſtodiæ præeſt magna eruditione prędituꝰ Iuuenis Carolus Moronius; idemque, ſi quid obſcurum adeuntibus, pro notitia, occurrat, optimus cognitor, enucleatè id, & perhumaniter oſtendit, atq; explicat. Numiſmatum Aerarium ſeruat Pręſul Maſſanus, probitate pręſtans,& doctrina, qui ſimul, ſolerti prudentia, Pontificijs rebus domeſticis præeſt. Curat illud peritè, atq; inſtruit Antiquarius expertus pariter, & diligens Leonardus Auguſtinus: is perfectiſſimè Imperatorum nomina, omnesq; hiſtorias, quæ ad Numiſmata pertinent, tenet, memoriterq; refert; & omnia ea reddit ſerie, qua conſequuntur; tum, ſi opus eſt, ſingula retrofert, nulloq; ſeruato ordine, quas interrogas, recenſet appellationes. Hìc verò, inter Togatæ Militiæ caſtra, dum nobis non licet è regione alteram Aedium partem oculis perluſtrare, animo ſaltem inſpiciamus, veluti alteram Bibliothecam, Armamentarium, omnium armorum genere inſtructum, ad firmanda municipalia præſidia Ciuitatum, Oppidorumque, quæ Barberinæ Domui ſubijciuntur; vt, ſi quando opus fuerit, pro Eccleſiaſtica Ditione tuenda, ſicuti Principes, Pontificijs legibus obſtricti, tenentur, illuc opportunè deferantur, ijsq; validè Militum copiæ armari poſsint: interim, dum, Deo fauente, à rerum viciſ-

ſitudinibus longiſsimè abſumus, contemplemur Aedes Armis decoratas, quemadmodum Librorum agminibus armatas conſpeximus. Proximum Bibliothecæ, Tabularium domeſticum vides, ſerreis valuis obſeratum: mox Pinacothecam, depictis tabulis, ampliſſimo argenteo inſtrumento, ſignis, pretioſa veſte, cæteraq; ingenti aulica ſupellectile, ad omnem Domus vſum, & ornatum, refertam. Paucis deinde gradibus in Rationarij locum deſcendimus; in quo quidem, omni cura, ad Principis rationes incumbit Calculator egregius Apollonius Guidonius, qui, quantumvis longiſsimæ, multipliceſque ſint, tam celeriter, atque accuratè eas ponit, varijſque imparibus numeris cum paribus metitur, & ad calculum reuocat, vt hoc Viro nemo ferè in Arithmeticis, ac ſuo in munere, haberi poſsit dexterior, atque acutior.

Quas hinc ad lęuam vides remotiores Aedes, Conſtantia Magalotta, Caroli Principis olim ſanctiſsima Coniux, & Principum noſtrorum Mater, ſibi inhabitandas delegit: hìc illa, ſedibus, atq; animo, Cælo proxima, terrena omnia, & caduca deſpiciens, æuum feliciſſimum ducit; eaque non aliam profectò in his humanarum rerum oblectamentis conſtantiùs agere crediderim.

Sed quoniam pręcipuas Barberinarum Aedium partes peruidimus, nunc quæ circumſtant ædificia, atq; hortos cele-

celeriter percurramus; neque enim ſingula animus eſt; nam anabathra, climaceſque interiores, intimaque penetralia, & reconditi, tutique receſſus, Principi ſolùm reſerantur. Cæterùm, alia ex parte, ad regales Domus lautitias, & vel regium epulum extempore parandum, Culinas, Cellas vinarias, penariaſque, magnificentiſſimè inſtructas, Coquis, Promiſque relinquimus. Primò igitur Theatrum ampliſſimum intuemur, vbi Machinatorum induſtriam ſi quando ſpectares, ſanè obſtupeſceres, atque adeò ipſe tibi ſpectanti non crederes; tàm ſubitò pegmata ſe obijcerent ſpontè ſurgentia, atque inter ſe tacitè coëuntia; mox iterum dehiſcentia: ſicq; inopinatò mutari omnia, atque inuerti videres. Quòd ſi adfuiſſes ſuperiori anno, cùm Fabula Italica, cui nomen inditum erat, *Egiſto*, ſeu, *Chi ſoffre, ſperi*, elegantiſsima perageretur; & mille rerum imagines in ſcenam prodirent; vidiſſes exorientem primò Solem, nocturnaſque tenebras fugantem; mox ſe paulatim ex vndis attollentem, atque adeò artificiosè omnia illuſtrantem, vt, qui modò Theatrum ingreſſi, eundem verè occidentem reliquerant, retrogradum facilè crederent; quaſi nouas Nundinas, quæ ibi iucundiſsimè, ad veri ipſiſsimam imaginem, exhibebantur, luſtraturus accederet, & præclara illa armenta ſibi abducta dubitaret.

ret. Equidem fateor, me numquam lætiori ſpectaculo interfuiſſe, adeò, vt in ſubitum furorem actus, neſcio quid ad Præſulem Roſpiglioſium, Fabulæ Auctorem, Etruſca poeſi luſerim: quod aliàs fortaſſe ad te mittam.

Ante Theatralem portam Area maxima ſeſe explicat; vbi Vir Nobilis, Stabuli, Equiſonumq; Præfectus, Dominicus Cinquinus quantumuis ſternaces, ac refractarios Equos edomat, edocetque. Hìc tu, ſummo mane, Principe interdum ſpectante, videbis, vt nouus, & intractatus Equus fræna, atque equitem pati primùm ediſcat, elata fronte, atque inconcuſſa, humero lacertoque agili, ſuperbè ingredi, & regredi; vtq; greſſus recalcans,

*Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare*
Virgil. Georg. lib. 3 *Compoſitis; ſinuetque alterna volumina crurum,*

& denique, certa ſub lege, quacumque verſetur, omnemq; ad bellicum vſum penitùs inſtruatur. At nunc ad Equorum ſtabula oculos conuerte, & quàm diſtinctè, atque ornatè omnia ſint diſpoſita, quæſo, intuere: ſtabulant hìc

Virgil. Aeneid. lib. 7. *tercentum nitidi in præſepibus altis:*

quòd ſi quando Princeps iubeat, extemplò videbis

Virgil. ibid. *Inſtratos oſtro Alipedes, pictiſque tapetis:*
*Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent:*
*Tecti auro, fuluum mandunt ſub dentibus aurum.*

Adiun-

Adiunctas ſtabulis, vides paruas domos, in quibus auro, atque argento fulgentia Vehicula, Rhedæ, Lecticæ reconduntur. Iam verò ad Sphæriſterium venimus, cocto laterculo, ſumma arte, ac munditia, conſtructum; introrſus à fronte, veluti ſubgrunda, imminet pergula; in medio, ad læuam, & dexteram, parum à ſolo diſtans, repagulum pendet: Pila hìc luditur, laneis fruſtis farcta, tenaci filo punctim, fortiterque contexta, atque conglobata; & reticulo neruis intexto, minutis maculis. Hìc Principes Viri aptam ſeſe exercendi occaſionem habent: admiraberis interdum nobiles Luſores; dum ille in tectum adijcit pilam, hic de tecto excipit; quæ repercuſſa vltro citroque, ſuper repagulum peruolat, donec vel hæreat impacta ſolo, vel aliter non ſit excepta, vel è parietibus euerberata, ſemel reſultans extra lineam proſiliat. interim magis magiſque admiraberis, in tam longo certamine, raram victoriam. Adhærent Sphæriſterio Cubicula aliquot, vbi, ſi quando Princeps ludo ſe exercuerit, tantiſper quieſcit, dum corpus ſudorem tergat, ac defatigatione ſe leuet: indidem mox reſumptis viribus, in Aedes ſe recipit per Hortos, non iniucundè horridos; quibus paſſim includuntur Capreæ, Cerui, Damæ, Lepores, Struthiocameli: per eoſque pariter ad ſuperiores ampliſſimos

mos Hortos aſcenditur. Horum propiores Aedibus gratiſsima omnium Flora occupauit; quæ tam aptè omnia in areolas ſuas, puluinoſque diſpoſuit, vt nihil vſquam elegantius effloruiſſe crediderim: Alcinoi, Adonidis, atque Heſperidum Horti; quos fabulę loquuntur, nugæ, ſi ad Barberinorum delicias reſpectes; præ quorum amœnitate,

*Gaſp. Simeon. in Auris, Paneg.*

*Ipſa Semiramios Babylon contemneret hortos,*
*Et Venus Idalios damnaret Cypria lucos,*
*Et nuptura ſuam Proſerpina linqueret Ennam.*

Vaſa vndique areolas ſæpiunt, Citreis, alijſque Medicis malis conſita: Fons oritur perennis, vnde riuuli quacumque deducti, florum ſitim extinguunt. Quàm auerem, Ferrarius ille, omni eruditionis genere florentiſſimus, atque adeò Sapientiæ flos, hìc adeſſet! quí nuper aureo ſarculo Barberinos Hortos tam ingenioſè coluit, vt Flores ipſos, rem alioqui caduciſſimam, ęternitate donauerit: quàm facilè is nobis, quàm doctè ſingula Florum nomina, naturas, vireſque explicaret! quàm ſuauiter, quàm diſertè diſſereret de Anemone, Adonidis ex ſanguine nato, de Narciſſo, ab aquea ſui imagine iugulato, de Hyacintho, quem ſanguine tellus rubefacta,

*Ouid. Metam. lib. 13.*

*Purpureum viridi genuit de ceſpite florem!*

Sed

Sed immorari hìc diutiùs religio eſt, quò ſanctiores Muſæ, & ſacer ipſe Apollo ſæpiùs commigrare conſueuerunt. Relicta igitur ad dexteram Porticu, mæandris venuſtè admodum depicta; ſupra quam, intra æneas plagulas, quaſi aëreum, liberumque carcerem, incluſus Turturum candentium chorus, non flebili carmine, ſed delectabili cantu, amores, aëremque mulcet; in cuius limine denſo ordine virent Medicæ arbores, opacum, odorumque ad Floræ locum, quem diximus, iter præbentes; in remotiores, laxioreſque Hortos per compendiariam viam aſcendamus, muris vndique circumſeptos, quos regia Laurus vbique veſtit, Teſtæque, Citreis pomis ridentes, coronant, & marmorei Atlantes, Caryatideſque fulcire geſtiunt. Hìc viæ complures, limitibus effigiatis diſtinctæ, quarum aliam cupreſſus inumbrat, aliam myrtus, aliam buxus exornat: areolæ pariter multæ, quà ſeminibus, quà arboribus conſitæ; alternis viticulæ ſurgunt, alternis nitent pomaria: vlmus hinc ſola, illinc iuncta amicæ hederæ extollitur; vbi Acanthis, Luſcinia, Ficedula ſæpè ſimul cantum ingeminantes, perpetuò, fideliterque hoſpitantur. Quid plura? in opere vrbaniſſimo ingenioſa etiam ruris imitatio viget. Supremam Hortorum partem lati Fontis perennitas fæcundat,

dat , ex cuius cratere magna aquarum vis affluit , & cauato lapide ſuſcipitur; mox è geminis alijs Fontibus erumpit ; hinc iterum deliteſcens , plures quaſi in flumineos riuos deducta , per marmora alueata lentè fluens , amœnam telluris faciem opportunè lauat .

Sed me ſcribentem deficiat dies, ſi tibi ſingula referre voluerim : hoc vnum reſtat, vt ſubdiales ambulationes, proximè ipſas Aedes inſpiciamus ; eaſque partim arrectarijs , tranſuerſarijſque aſsiculis, veluti parietibus, partim verò hinc, atque hinc preſsis, varièque tonſis viridiſsimis arbuſculis, ac topiarijs incluſas. Hìc Principes Viri, & Dynaſtæ pila interdum, & folliculo ludunt. Ad portam autem ſublimis viæ , longè latèque excurrit Catadromus , quem laurus regia interſecat ; vbi Aulæ noſtræ nobilitas, & Romana , iam olim ab Aſcanio illo edocta , ad Equeſtre prælium ſe exercent . Videas hic ſæpè , è noſtris Aulicis , vel Comitem Laurentium de Marſciano, cuius Familiam noſtra ſibi vendicat Peruſia; vel Rodulphum Amianum , vel Equitem Hieronymum Pactium , vel Comitem Ferrantem à Maſſa , vel Proſperum Meocium, vel Equitem Fratrem Fabium Raynerium noſtrum, acri quemque inſidentem Equo, decorè primùm, & cum pompa incedentem; dato dein fræno , intra carceres Equum ſiſtere : vtque, cùm iam

Tubi-



*Prospectus Aedium posterior.*

Tubicen dat ſignum, adhibitis extemplò calcaribus, efſuſisq; habenis, immobilis ipſe Equum emittit; ac velitari haſta ex femore deorſum primùm, mox ſurſum ducta, ſenſimq; ad pectus admota, & Equi aures velut interſecante, in armatum hoſtis ſimulacrum appoſito ictu incurrit: adductoq; demum fræno, reluctantem Equum in extremo curriculo compeſcit: atque haſtilem præferens truncum, altera via, ad carceres redit. Eadem pompa, eodemque ordine, cæteri Equites velitarem hanc pugnam tamdiu proſequuntur, dum, ſigno dato, in proximum Theatrum, triumphali lauro obumbratum, ſe recipiunt; atque ab humaniſſimo Principe donis largiter cumulantur. Sed iam ſatis bellè tecum ſingula luſtraſſe videor; neque enim omnes Aedium, Hortorumq; angulos circumire me poſſe confiderem: quòd ſi longior fuerim, & in ſcribendo modum exceſſerim, materiæ id tribuas velim, non ingenio; Domus enim ipſa, quæ deſcribitur, non equidem mea ſcriptio, ampla eſt.




PICTRARVM INDEX










A





iim





F 2 enim



A D

# ROSATVM TORELLIVM,

## IVRISCONSVLTVM.

FACILE' mihi quidem perſuadeo, Vir doctiſſimè, perbreuem noſtram Barberinarum Aedium Deſcriptionem perlegendam tibi detuliſſe, autumnalibus hiſce vacationibus, humaniſſimum Cantagallinam; quippe, Romæ dum ſimul eſſetis, eaſdem inuiſendi pari deſiderio tenebamini; vt ſcio, Baſilio Corradino, Felici Verducciolo, humanarum litterarum in Patria ſideribus, perluſtrandam tradidiſſe: & ſanè, quod ad Corradinum pertinet, agnoſco, in ipſius recenti de ea præconio, veterem beneuolentiam, qua ille me, ab ipſa infantia, proſequutus eſt, Condiſcipulus, an Doctor? vterque

enim mihi ſuit, apud Italicum, vt eum Lipſius appellat, Homerum, vtriuſque noſtrum Præceptorem Bonciarium. At tu fortaſsis, quæ tua eſt maxima doctrina, & auctoritas, in ipſis ferijs, tantùm vacare potes litibus ijs inter Ciues componendis, de quibus Iudices, iurium difficultatibus impliciti, iudicium reddere minimè potuerint: quod tamen retardare me haud potuit, quin ad te alteram hanc mitterem, quæ ad eaſdem Aedes ſpectat, de Cortonenſis Petri Picturis, in regalis Aulæ fornice, narrationem; quas quidem nuper Parmenſi Duce, poſt lautiſſimum in Aedibus epulum, prouiſente, nobis quoque inexpectatò aſpectare licuit; eaſque incompto veluti penicillo, collectis vtcumque ingenij mei viribus, adumbratas ad te mitto; vt meam obſeruantiam, quam in Aedes deductor vtriq; veſtrum paraueram, hic iam expreſſam ad viuum habeatis; à qua ſanè delineanda, nil prorſus, vti plurimùm à picturæ archetypo, prolabor, & decido: etſi minimo id quidem Auctoris damno; quandoquidem Cortonenſis Apellis fama maior eſt, quàm quæ, aliena opera, aut augeri, aut minui poſſit. Barberinorum Principum virtutes, luce ipſa clariores, atque illuſtria facinora, varijs hiſce imaginibus expicta, hic tibi recenſere ſuperuacaneum cenſeo: tu ipſe Ponti-

*Iuſtus Lipſius epiſt.*

tifi-

tificem Maximum, noſtroſque Principes in ijs, per argumenta non ſallacis gloriæ, vndique intuere.

BARBERINAE Aulæ auguſtiſſimum fornicem inſpecturi, primùm, quæſo, inſignem in eo coronam intueamur, marmoreo, cinereoq; colore adumbratam, atque adeò, ſi oculis credimus, ſolidam, & expreſſam: aptiſſimè inibi delineantur ſimæ, cymatia, metopæ, cæteraque ad artis normam ornamenta: intercurrunt aureæ faſciæ; nixique puſiones ſuſpenſos, atque inflexos encarpos ſuſtinent. Hac veluti γαλαξία, & tanquam aſtris aſperſo orbe, ingenioſa Cortonenſis manus nobile ſuum opus diuiſit, atque ſexcentis ſignis animatum, quod aperuit Cælum, ne quid à vero differret, quinquepartitum, nam

*Quinque tenent cælum Zonæ*, *Virgil. Georg. lib. 1.*

eſſe voluit: in quo quidem, ſeorſim ab alijs, Imagines aliquot contemplamur; quædam enim nubibus imminentes, quaſi proxima nobis ſidera, liberè vagantur; reliquæ ſuo quæque loco fixæ, ſuiſque limitibus clauſæ conſpiciuntur. Igitur, vbi ſe primùm Aula curuat in fornicem, elegans quodammodò nitet ſtereobata, quam virentia vndiq; ſolia conueſtiunt, cuius media latera, monochromateis fermè imaginibus, Apes, Solem, ac Laurum, Barberinæ Domus Inſignia, ſtipantibus, pulcherrimè

mè

mè exornantur. Ad ſingulos ſtereobatæ angulos gemina quaſi Signa conſurgunt, quæ, haud ſimili aſpectu, miris tamen inter ſe modis conſentiunt; ſupra quas, appoſitis vtrinque perſonis in anguem deſinentibus, ſingula Numiſmata promicant, antiquas exprimentia hiſtorias: hinc verò Taurinum caput, quernis torquibus ornatum, dependet: aurea deinde Apis amica lauro circumdatur: Fæminę demum facies, alis ſuffulta, ſparſo certa lege capillo, ſtereobatæ iungitur; atque hunc rerum ordinem claudit. Porrò Numiſmatum aliud Cunctatoris prudentiam refert, Carthaginienſis virtutem eludentis; aliud Africani Ducis continentiam, formoſiſſimam Virginem ſeruantis; aliud Conſulis iuſtitiam, in Filium victorem animaduertentis; aliud Scæuolæ conſtantiam, & fortitudinem, deceptam dexteram concremantis. Quas quidem Virtutes ſubiecta ſingulis Numiſmatum Animantia commõſtrant; quà pigrantes, & ſagaces Vrſi; quà purus, candiduſque Monoceros; quà ferox, & perſpicax Gryphus; quà fortis, atque impauidus Leo.




At

At quoniam artificioſi huius Cæli partes, & cardines inſpeximus, nunc ad ſingula partium ornamenta aduertamus. Medium igitur Cælum Regiæ Apes circumuolant, ſuoque ſplendore totum hunc cæleſtem Orbem illuſtrant. His formoſiſsimæ tres Virgines hilarè plaudunt, quarum prima, amictu purpureo, vultu, atque oculis ſcintillantibus, intimum Charitatis ignem præfert: altera, obducto velo os atque humeros tegens, Fidei argumenta non dubia exhibet: tertia, ſmaragdina nitens veſte, læta facie, quam condit pectore eximiam Spem, facilè oſtendit. Hæ Virgines frondentes lauri ramos in orbem nectunt, & alatis puſionibus aliquot circumfuſis, regium veluti ſolium circumſtant. Hinc Virgo, atque hinc pariter Matrona ſeſe adiungunt; altera tunicam induens venetam, rubidamque trahens pallam, Pontificium Inſigne, Claues gerit; altera, non, vt paulò ante ſolebat, obtecta obſoleta lacerna, ſed imperatorio paludamento induta, Orbis ſe Reginam oſtendit, ac ter Maximi Pontificis triplex Diadema complectitur. Proximus huic Puerulus lauream manibus geſtat, & ſuauibus modis Choro ſe Virginum inſerit. Haud procul hinc, nitido decora vultu, nec mortale præferens, Virgo, melina ſe contegens, ſideream, æternamque coronam ſuſtinet. Sed,

quæ

quæ intuentium oculos Altera in ſe rapit, pulcherrima omnium, ſuis ipſa viribus nixa, fronte placidiſſima ſedet, ac tenui byſſo conſpicua, croceoque amiculo, cuncta ſceptro diſponit; ad cuius nutum, hinc atque hinc geſtit facilis Puellarum chorus; quarum aliæ flammea, citrea, rutila; alię herbida, cerea, porracea veſte circumdatæ, mirum quantum, ea diſcordium colorum concordia, ſpectantium oculos recreent. Ad ſacros Virginis pedes toto ferè corpore ſtratus, robuſtus, vegetuſque Senex, immanibus membris, ſemicano, atque intonſo capillo, contracto ſupercilio horridus, alatus humeros, acuta falce armatus, ſuos ipſe Filios perdit, ac deuorat; qui & ipſi ferrea Patris viſcera, tacitis morſibus, corrodunt, ſenſimque conficiunt. Edaciſsimo huic Seni lanificæ illæ Sorores, proximè ſedent: altera, cyanea veſte induta, tenuique pallio, ſtamina è colo deducit; altera, xerampelino amictu obtecta, fuſo reuoluta fila componit; tertia, ricino præcincta, acutis, atque implacatis forficibus fila eadem recidit.



At





E

At Bellatricem illam, in fornicis fronte, criſtata galea, loricaque adamantina, ſago ruſo ſuperindutam, ſpectantium oculos verberantem intuere; viden', ad ipſius aduentum, turbidus vt aër ſpargitur? mox vt fulgore coruſcat? vt Virago ipſa

*Proſilit, oſtendens rutila cum Gorgone pectus?* Claudian. Gigantomach.
*Aſpectu contenta ſuo, non vtitur haſta,*
*Nam ſatis eſt vidiſſe ſemel: primumque furentem*
*Longius in faciem ſaxi Pallanta reformat.*

Viden' immane illud ſaxum prouolutum? Pallantem in eo vides; ſiquidem

*Ille procul ſubitis fixus ſine vulnere nodis,* Id. ibid.
*Vt ſe letifero ſenſit dureſcere viſu,*
*Et ſteterat iam penè lapis, quò vertimur? inquit,*
*Qui ſerpit per membra ſilex? qui torpor inertem*
*Marmorea me peſte ligat? vix pauca loquutus,*
*Quod timuit, iam totus erat.*

Verùm vnà ſuſpice, vt armatæ Virgini, cui & ipſe ſimile nomen præfert, dum pariter auſus concurrere

*Pallaneus, oculis aduerſa tuentibus, atrox* Idem ibid.
*Ingreditur, cæcaſque manus in Pallada tendit;*
*Hunc mucrone ferit Dea cominùs, ac ſimul angues*
*Gorgoneo riguere gelu, corpuſque per vnum*
*Pars moritur ferro, partes periere videndo.*

Viden' prætereà, vt ſociæ aliorum corporum moles, grauiſsimis ictibus percuſſæ, vnà cum præruptis montibus præcipiti ruina peſſum eunt? vt calloſa ilia, & dorſa lacertoſa, femoraque vbique ſqualent? vt volæ manuum, pedumque, cubitales, ſquaroſæ, liuent? profectò, ſi vera aſpectus renunciat, informia Monſtra, ex tellure progenita, ſurſum primò propulſa, mox eliſa, ac iam ruentia, Tellurem matrem oppreſſura credideris, & cum illis pariter ipſa Petri Cortonenſis penicillo excitata ædificia, crebris rimis iam fatiſcentia, ac vitiata, collapſura.




C. Cungius Sculp.

9



Nunc verò ad meridiem aſpice, qua maieſtate è Cælo nobiles Virgines veniunt, an ex Barberinis Aedibus, hìc Dorica porticu adumbratis? Harum altera, talarem, & puram tuniculam viridi ſtrophio præcincta, longo ſyrmate aërem verberans, regiæ poteſtatis Inſignia, antiquos betulleos Faſces, Securis acie munitos, ipſamet defert; altera tenui ſupparo, rauaque palla contegitur, atque Amaltheæ cornu manibus complexa, vndique amorem ſpirans, pannoſæ indigentium turbæ, Pueris, Senibus, Viduis, fuſco capitio obuolutis, opes copioſiſsimè elargitur. Eminet his Senex, crocea veſte, ac ſciſſili palliaſtro indutus, qui ad beneficæ Virginis pedes, elatis manibus, in genua ſupplex procumbit.

*At ſubitæ, horrifico lapſu, de montibus adſunt* Virgil. Aeneid. lib. 3.
*Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas.*
*Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior vlla*
*Peſtis, & ira Deùm Stygijs ſeſe extulit vndis:*
*Virginei Volucrum vultus, fœdiſsima ventris*
*Proluuies, vncæque manus, & pallida ſemper*
*Ora fame.*

Hæc tamen Monſtra turpiſſima Heros ille impiger, Leoninis exuuijs ſemiamictus, nodoſa claua inſequitur; quamobrem aliæ proſtratæ penitùs iacent; aliæ

vulneratos artus ægrè trahunt, aliȩ, prȩpeti fuga, denſis arborum ramis ſe contegunt.

Verùm ab hac peſte oculos, quæſo, ad nobile ſpectaculum conuertamus. In dextera Aulæ parte, Virgo, oris pulchritudine conſpicua, rugoſam tunicam zona leuiter coërcens, atque amethyſtinam pallam explicans, læua apertum Volumen, dextera Ignitabulum, ardentibus prunis coruſcans, gerit, atque inſitum penitùs Sophiæ amorem ardentiſſimum oſtendit: delapſus huc è Cælo alatus, laureatusq; Miles, adamantino clypeo, Virginem protegit; palmaque propoſita, certiſſimum triumphum pollicetur: propior Virgini Matrona, honeſto, & compoſito ad pietatem vultu, velato capite, rubiginoſa plagula, & oſtrina veſte inſignis, æneo tripodi ignem imponit. haud longè hinc, aureo recubat lectulo, molli culcitra compoſito, rubro ſub tentorio, arborum ramis ſuſpenſo, impudentiſſima Fæmina, purpuriſſo, ceruſſa, ſtibioque depicta, nuda lacteum ſinum, aureos, vndanteſque reſoluta capillos, candidis multitijs, & ſtragula purpurea negligenter tecta; cuius ardentes oculi, molleſque blanditiæ Xenocratis etiam conſtantiam delinirent, atque corrumperent. Sed improbȩ huic Veneficæ ex aduerſo occurrit, atque opponit ſeſe honeſtiſsima

Virgo,

Virgo, ſinus candida veſte, & candidiore lilio lęuam ornata; cuius nutu pudicus Puerulus, impudicum, & procacem Alterum acriter oppugnat, ereptamq; aduerſario facem in faciem incutit, tum deiectum, atq; armis exutum, calcibus, pugnisq; contundit: quem mox profugum, aſſumpta candidæ Auis ſpecie, ad chriſtallinas Fontis aquas, inter aliquot Mulierculas volitare crediderim, quæ ibidem ſedulò ſeſe comunt, & ornant. Haud longè aſpicimus annoſum, atque adipoſum Senem, coma relicinum, hederacea corona ornatum,

*Inflatum heſterno venas, vt ſemper, Iaccho;* *Virgil. Eclog. 6.*

in cuius ſinu obeſo turgent vbera, tanquam vberrima vino. Hunc mero grauem, ſomnoque, toto corpore titubantem, nonnulli Cornigeri nemorum Incolæ, manibus vngulatis, fronte petulca, biſulca barba, hircinis pedibus, vndiq; fulciunt: alius labentis brachium ſuſtinet, dum interim bacchantibus perſimilis Puella ex canthаro in amphitetum vina tranfundit; alius eius coxendicem, & ſuram, humero, ac manu ſuppoſitis, effert, manu altera fiſtulam ſeruans; elatis ad Cælum vnguibus ſtertunt alij; alij denique ludunt in numerum, leniterque tripudiant: vetuſta ſyrinx ſuſpenſa ramis pendet muta; ſolo vini murmure reſonant ſyluæ. Hic Bacchantium Mænadum altera leuiter incoxans, nuda ſpa-

da ſpatulas, cuius tunica cærulea, inter exertas induſij lacinias, Pantherę exuuijs adſtringitur; ventricoſum Infantem in ſinu ipſius bonæ Nutricis fouet, eumque, compreſſo digitis racemo, muſto lepidè aſpergit; dum Nutrix, crinibus molliter reflexis, perque collum diſperſis, diſcolori veſte modeſtè retecta, diſtenta Puero vbera admouere geſtit.



10


Petrus Berrettin. Corton. inuen. Cornelis Bloemaert sculp.


Petrus Berrettin. Corton. inuen.
Cornelius Bloemaert sculp.

Sedulò mox ad læuam deuenito, Virginemque pulcherrimam inſpicito, qua nec digniorem alteram, nec ornatiorem extitiſſe, tute fatebere: frons aureis comis, pretioſiſque lapillis nitet; gemmei torques è collo dependent; dextera caduceum ſuſtinet; attalica toga, cæruleaque palla inſignis progreditur. Huic proxima phroneſim ſpirans Puella, decreſcens in genua, rubea, incompoſitaque veſte ornata, lynceis Virginis oculis ſpeculum lucidiſſimum offert: Illa auream alteram Clauem læua retinet; argentea altera iam tradita elegantiſſimæ Puellę; quæ praſina veſte, veloque breui amicta, obſignatis arcanis tabulis, ac diplomatis acceptis, tanquam poteſtate, ac legationis munere ſibi additis, peregrè proficiſcitur. Sed abeunti gratiſſima Comes altera procedit, pellucido amictu velata, ac geminarum clangore tubarum omnia complere videtur. Quod olim ad infimum Argiletum bifronti Deo excitatum fuerat Templum, ingenioſè huc tranſlatum vides; cuius ſtridentes fores Virgo, ore habituque compoſito, lauro redimita, ramoq; frondentis oliuę armata, publicę tranquillitatis amans, placidiſſimè claudit. Ad Templi limen, hilari fronte, amica Pacis Puella, ſmaragdino indumento pręfulgens, Furentem hominem, toruiſque oculis cędes, incendia

mini-

minitantem coërcet: ille impatiens, ferum extollit caput; ac ſæua recumbens ſuper arma, aheneisq; nodis poſt tergum reuinctus, membra rugoſa inconſtantiſſimè peruolutat, horridus cruento ore fremens. Amiſſo Duce, Eumenides victæ iacent; cumque ijs Monſtra alia Erebi proſtrata cernuntur; atrocibus tamen vlulatibus veſanam illius agitant animam. Denique Mulciber ipſe, Aetneique Fratres huc è Lemno Inſula, vt oculi fatentur, verè commigrarunt: hìc niger exhalat fumus, ac nubibus iungitur: in vſtrina concluſus ignis refulget: intereà

*Virgil. Aeneid. lib. 8.* *Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt.*

Alij verò taurinis follibus auras accipiunt, redduntque; alij ſtridentia aera feruidis tingunt aquis, aut verſant tenaci forcipe: at, operoſiſsimus omnium, ipſe ferrarius Magiſter, in ſummis inęqualium pedum digitis conſurgens, ſuſpenſo malleo in defixam incudem, quam validè acmotheton ſuſtinet, graui niſu impetens, ignitum ferrum diſſultans contundit, formatque. Opificum per nudos artus ſudoris fluunt riui copioſiſsimè. eorumq; ora rubentia, igneo repercuſſu flaueſcunt. Feruet igitur opus; quamobrem multiplicia arma, quibus Officina ampliſſimè inſtruitur, intueri licet, quà galeas, thoracas, clypeos, loricas, peltas; quà lanceas,

tela,

tela, gladios, bipennes, romphæas, haſtarum cuſpides; quà falces, arietes, bellica omnis generis tormenta, numero, magnitudine varia, atque admiranda; quà denique tormentarios innumeros globos, ac reliqua miſſilia; &, vno verbo, quæcumque bellis gerendis, propugnandis, expugnandiſue Arcibus, & Vrbibus adhiberi conſueuerunt.

Atque hæc quidem ſunt, quæ de Cortonenſis Petri Picturis pauca potui, ab vnica tantum breuique inſpectione, in abeuntem iam reducere memoriam, tibique inſpicienda proferre. Sed, ò factum malè! pacis peramantem, qui inter libros perpetuò verſaris, forenſia vt certamina dirimas, en inter arma, bellorumq; inſtrumenta, præceps atque incogitans te mea deſerit oratio. Profectò ipſe hìc tua cauſa perturbarer, niſi planè te Peruſinum, hoc eſt, Martis aſſeclam, Mineruamq; armatam ſectantem, recordarer; tuumq; germanum Fratrem Antonium Mariam, Militum Ducem, fortiter, feliciterque in hoſtes arma ferentem, bellaque gerentem: quamobrem hæc, tanquam illius trophęa, intuearis velim. Verùm dum in Vulcanio hoc armamentario inſpectando adſciſces tibi ſocium Cantagallinam nostrum, ille, quòd nuper ex Germania redierit, vbi incendia bellorum, heu, ardent æterna, fulgurantes

acies, bellicumque ſtrepitum mirari aſſuetus, ab eo forſaſſe ſpectaculo non abhorrebit. At ſeriò, & extra iocum; his me verbis ſignificaſſe tibi reputabis, vt hanc narratiunculam communem habeas cum eruditiſsimo Viro; in qua quicquid horridi, ac moleſti vterq; veſtrum legens offenderit, ſtudio condonetis rogo, quo abundè teneor, veſtris deſiderijs omni conatu obſequendi.




AD

A D

# FEDERICVM CAVACEPPIVM.

NON veſtiunt rurales parietes depictæ floribus, frugibusq́; tabulæ; non pigmentis mentita nemora, non penicillo corriuata flumina: varijs huiuſmodi picturis Natura ipſa, tanquam in tabula, pingit humum. Non eſt tibi, Vir prudentiſsime, ætatem ruri degenti, fictitijs hiſce gaudere coloribus: tua enim Coloniola Villa, ſub amœniſſimo Cælo, potens vbere glebæ eſt; atque hìc Floræ tota familia, Pomonæq́; ſoboles colunt tuos hortos, eorumque flexuoſa ambulacra Syluani progenies obumbrat. Ruricolarum nobilium oculos reficiunt potiùs, ac recreant depicta Aedificia, Heroum ſimulacra: quid igitur mirum, ſi tam iucundè exceperis ad te delatas Aedium Barberinarùm, & Cortonenſis

Picturarum narratiunculas noſtras ? habes enim in vna ſcriptione delineata Aedificia, Heroum imagines; quibus animum oblectare interdum queas : niſi fortè hoc planè inculto ſcribendi genere, vepribus, ſentibuſque impedieris, paſſim ſeſe tibi obijcientibus. Maneo nihilominùs, vel te fatente, in ſententia, non defuiſſe tibi aliquam inter legendum iucunditatem, quando iubes me denudare, quicquid, quaſi ſub cortice, præſtantius ſub ipſis picturis tegitur. conatus id ſanè ſum, pro ingenij tenuitate, implere, ea animorum noſtrorum coniunctione impellente, quæ ab ipſa pueritia, per omnem fermè ætatem interfuit, & nunc in ipſa ſenectute firmiſsimè intercedit. Mitto igitur ad te, inter ipſas tuæ Villæ delicias, veluti quandam ad ampliſſimos Virtutum hortos introductionem, qua illos per te ipſe adire, atque vndique inambulare, flores, fructuſque legere, pro arbitrio, & abundè queas. Ecquid autem non vltrò ſperem, te, perbreui hac lectione excitatum, quaſi longo poſtliminio, vt apertiùs tibi, quæ legeris, innoteſcant, Vrbem ipſam reuiſurum ? quam olim, per decennium, maxima cum laude, Viri Purpurati Pocillator, coluiſti; à quo iterum ſuperiore anno, vt eius Cubiculo præeſſes, pollicitationibus multis accerſitus, tranquillam negotijs procul

ducens

ducens vitam , renuiſti id tu quidem conſtanter ; veritus ne , aucta mirum in modum Familia , antiquæ virtuti noui Aulicorum mores contrarij occurrerent ; proſtrata ab adulatione veritate , & circumuento ſæpè merito, ingrati , vel inuidi animi fallacijs ; quibus armata æmulatio paratam Domini beneficentiam ab ope ferenda auerteret : verebaris , ne , quem peramantem olim habueras , mox diuitijs oppletum , durum offenderes, atque inamœnum ; qui , deiectis antiquis æmulis , negligat in Aula veteres ipſos Amicos, vt incurioſus Aulæ videatur : timebas, ne te oporteret ferre priuata Domini beneuolentia tumentem aliquem, priſtinæ fortunæ prorſus immemorem ; eiuſdemque gratiam argenti pondere libratam , in alios traducentem . Cæterùm, tum temporis iſthæc vel laruata , vel longè maiora tibi in oculos perferebat tranquillè viuendi nimius ardor : nunc vbi è viuis exceſſit, qui te euocabat , non inuitaris à Principe Romam ad ſeruitutem , ſed ad Principum virtutes in auguſtiſsimis Aedibus liberè peruidendas.

IAM ſatis puto narratione altera oculis datum ; externaſque rerum imagines ſatis luſtrauimus : nunc mentis oculos propiùs admouentes, quid intus ſub coloribus hiſce lateat , ſeriò reputemus , conuerſoque

ordine

ordine, Vulcaniam hanc ipſam Officinam iterum inſpiciamus, cuius arma propè innumera vndequaq; pendentia, VRBANI Pontificis Prouidentiam referunt; qua militem deligendo, Arces extruendo, Flaminiæ Vrbes armis omnibus inſtruendo, exterorum copias abſterruit, atque à noſtris finibus longiùs abſtinuit: cuius rei nos ipſi oculati teſtes eſſe poſſumus; qui, ſuperioribus annis, ijs in locis, ac Romæ præſertim, & Bononiæ, cùm eſſemus apud Excellentiſsimum Principem Carolum Barberinum, permulta Peditum millia, compluresque Equitum alas validiſsimè armatas vidimus. Et potiſsimùm in ijs referri putandum eſt Vaticanum nobile Armamentarium, in quo non tam omnis generis diſpoſita vndique arma, quàm armatum, atque optimè inſtructum exercitum videre mihi videor. Peruetuſtum autem Bifrontis Templum, cuius æneis portis firmiſsimè obſtructis bellicus Furor excluditur, Aeliam Arcem VRBANI conſilio munitiorem redditam, & Ferrarienſem pariter, armis, & milite firmatam commonſtrare crediderim; in primis verò Vrbanam illam omnium munitiſsimam, quæ maximas quantumuis hoſtium vires vna eludere, atq; elidere poſſit. Hanc in Bononienſis Agri finibus, iuxta regiam, Romanamque viam, labentia hinc atque hinc gemina

Flu-

Flumina, Scultenna, & Lauinius, intercludunt; alterum duplici prę lio, Octauianum inter, & Antonium, inſigne; quamobrem, ex Panſæ ibi Conſulis cæde, proximo Oppido Panſano nomen inditum; alterum, partito illic inter ipſos Triumuiros Orbis terrarum dominatu, atq; imperio, clarum. Quadratam porrò Arcem, ita iubente Pontifice, exędificatam nemo planè mirabitur, qui à cęleſti illa Vrbe exemplum deſumptum eſſe non cognoſcat: ſingulos eius angulos valida muniunt propugnacula: mœnia, congeſtis tenacibus glebis extructa, lateribus, & calce veſtiuntur: quatuor item propugnacula, ingenti foſſa, & perenni aquarum copia ab Arce diſiuncta, media eius mœnia circumſtant, & ex gremio aquarum, veluti inſulæ, eminent: foſſæ verò ripam, ad mœnium pedes, extrorſum loricę leuiter decliues circumueniunt: trans foſſam ingens agger circumducitur; cuius anguli, intrinſecus, atque extrinſecus breuioribus propugnaculis, & curuatis, cornutiſque munitionibus præcincti, ſingulos Arcis angulos reſpiciunt. Altera deinde foſſa totum opus circumdatur; cuius aquæ in proximum Flumen defluunt. Arx ipſa, & Propugnacula armis, & machinis omnibus, ducentis prætereà, & vltra, bellicis tormentis inſtructa, prę ſidiarios milites habet Peditum cohortes ſex, alas Equitum duas; alternis excubijs ſibi in-

*Dion. Hiſt. lib 46.*
*Appian. bell. Ciuil. lib. 3.*
*Appian. lib. 4.*

uicem

uicem ſuccedentes. Sublicius Pons aditum in Arcem præbet : in eaque primùm occurrunt Militum excubiæ, & cuſtodiæ, deinde ſtationes, & Caſtra in octo partes diuiſa: hęc quadratam aream relinquunt, in qua militares diſciplinæ exiguntur, milites recenſentur, & ſtipendia à Diribitoribus perſoluuntur. Hinc ad mœnia, & propugnacula octo pariter ſeſe aperiunt viæ. Caſtra à tergo habent horrea, & frumentarias molas, annonarias tabernas, olearias, ſalſamentarias, & Noſocomium nitidiſſimum: extremum verò locum occupant ampliſſima Armamentaria, bellicis machinis, armiſque omnis generis referta: ſeorſum autem ab Aedificijs conſtructæ ſunt vndique cellæ, plumbeis laminis tectæ, quibus nitrati, ac ſulphurei pulueris vis magna reconditur. Fons denique perennes aquas largiter quacumque diffundit. Huius Arcis ſubſidio, & robori, adiuncta nos pridem aſpeximus, id temporis ratione poſtulante, Peditum octodecim plus millia, Equitum bis mille; quibus imperabat Excellentiſſimus Princeps Carolus Barberinus. Quæ omnia, & præcipuè diſpoſitum vndique lectiſſimum militem, Cęſarij Ductor exercitus Collaltus, qui ad Eminentiſsimum Principem Antonium Barberinum Cardinalem, Legatum, Bononiam venerat, vt vidit, meritò

admi-

admiratus eſt. Verùm hanc ipſam mei Principis Legationem quàm aptè exprimit Puella, abeunti ſimilis, Argenteam clauem à ſuprema illa Poteſtate accipiens! eam porrò in oblatum à Prudentia ſpeculum ſeriò reſpicientem, nil aliud referre crediderim, quàm eiuſdem Legati ſingularem virtutem, quæ ad præclara Patrui exempla, veluti ad ſpeculum lucidiſſimum, ſeſe componit, atque ornat: hinc fit, vt proxima huic Famã, quas ille, in eadem Legatione, ſingulares animi dotes oſtendit, duplici tuba decantet; in re militari adminiſtranda ſummam peritiam; in conciliandis Regum, & Principum animis eximiæ prudentiæ adiunctam eloquentiam; in laboribus, & periculis ſubeundis conſtantiam, & fortitudinem; in ferendis legibus ſapientiam; in ſubleuanda populorum inopiã liberalitatem; effuſam in omnes munificentiam; denique erga Carolum, Parentem optimum, incredibilem pietatem, qua & viuentem, & morientem miris modis proſecutus eſt. Sed chariſſimi mihi Principis iacturam recolenti ne erumpant lacrymæ, in Pallada illam oculos, animumq; transfero. Hanc profectò adultam Virginem, Sapientiæ Præſidem, Iouis è cerebro natam Veteres finxere, quæ ad Gigantes debellandos è mortalibus aliquem, Herculem nimirum, ſibi ſociũ

aſſumendum duxerit. Sed næ illi, quam è ſacris fontibus puram veritatem hauſerant, nugis, atque inanibus fabulis temerè fœdarunt; quos enim ex Dei Filijs, videlicet Sethianis, qui ſibi Hominum Filias, nimirum Cainitas, adiunxerant, genitos; alioſque, quos immane illud Babel ędificium fruſtra attollere auſos, didicerant; hos Cæli, & Terræ Filios, Aegyptium Typhonem ſecutos, congeſtis montibus Cælum oppugnaſſe finxerunt,

*Geneſ. cap. 6.*

*Geneſ. cap. 11.*

*Et magnum bello ſollicitaſſe Iouem.*

*Ouid. Faſt. lib. 5.*

Præterea nos, quibus, diuino beneficio, Fidei lumen affulſit, Dei Verbum, Aeternique Patris Sapientiam, Hominem ſibi verè aſſumpſiſſe, & Sathanam in Cęlum conſcendere fruſtra conantem, deieciſſe, nullo figmento cognoſcimus. Quamobrem ſub hac Imagine Sapientiam VRBANI Pontificis, Diuinę proximam, veneramur, quę ab ipſomet Dei Verbo olim Petro communicata, in Hęrede non deficit. Hanc verò Herculem Auerruncum ſibi ſocium aſſumpſiſſe quis neſciat, Antonium, inquam, Cardinalem, germanum Fratrem, teterrima criminum Monſtra, Eccleſiaſticæ diſciplinę claua, longiùs arcentem? Quem vt expreſſiùs, pietatis robore munitum, non mente minùs, quàm oculis contempleris, eius impreſſam Effigiem, vnà cum alijs noſtrorum Principum, de quibus infra tecum ſermo erit, ob id ipſum, ad te mitto.

*Iſai. cap. 14.*

Sed



Sed iam ex Diuina illa ad humanam Sapientiam deflectamus; neque enim aliud præclaram Virginem, altera manu ignitabulum, apertum volumen altera ſuſtinentem, referre crediderim, quàm inſitam ab adoleſcentia Pontificis animo Philoſophiæ, cæterarumque Diſciplinarum cupiditatem; has enim ſingulas, ſumma contentione, ac ſtudio conquiſitas, ita calluit, ita excoluit, vt planè omnes intellexerint, non tam humanis ipſum viribus, atque ingenio, quàm diui-

no prorſus auxilio orbem illum Doctrinarum omnium comparaſſe, quam cum Gręcis Encyclopædiam vocamus: id quod adiunctus Virgini alatus Comes admonet, qui, & laborantem clypeo protegit, & perſeueranti lauream immortalem pollicetur. Ecquid autem humana nobis Sapientia proſit, niſi, à Pietate initium ducens, ad Pietatem feratur? corruet profectò ædificium, quod humanis tantùm viribus extructum, Dei timore non nititur: quamobrem iure optimo ſa-

pienti huic Virgini ſociam ſe Pietas addit; vt intelligamus, omne Pontificis ſtudium, omnemq; laborem, ex hoc vno veluti fonte defluxiſſe, atque vnum hunc ſcopum aſpexiſſe, Chriſtianam Pietatem. Sed quàm aptè hoc loco ſacrum Tripodem, Sapientiæ ſymbolum, Cortonenſis Apelles ingenioſus expreſſit! quem verè è Piſcatorum manibus ad ſapientiſſimos Viros, atque inter eos denique ad VRBANVM delatum videmus. Cum Venere Palladem nihil prorſus habere commune, paſſim fabulæ loquuntur, & captus oculis Tireſias monet: eapropter adhærere Virgini comes altera Caſtitas, ſuo quodam iure, cernitur; quæ impudiciſſimam Fæminam lectulo molliter cubantem, graui ſupercilio terret, atque hinc Cæleſtem, illinc Terreſtrem, eundemq; honeſtum Amorem in impudicos hoſtes impellit; nec alijs armis illos inſtruit, quàm, quibus olim Barberinam, Aſtreæ, an Apollinis? Apem pugnaſſe cognouimus,

*Dum documenta Probi tradit Franciſcus Amoris.* *In Tit. Docum. Amor. Franciſc. Barberin.*

Illi verò blandientes Fæminę Infantuli, pugnæq; ignari Amores, caſtis tamen oculis reformidantes, eas exprimunt cupidines, quibus innoxius interdum oblectatur animus; quæ, vbi tantiſper molli delectatione fouentur, ſtatim erumpunt adultæ, atque animi primò

can-

candorem turpiter inquinant, mox vitæ integritatem, funditùs euertunt. In Sileno, delicijs, & luxu diſtento, crebriſque compotationibus indulgente, cui proximus Bacchus, tanquam alumnus, affingitur, ad omnem ingluuiem inter Męnades enutritus; adumbratam exiſtimauerim intemperantis Viri deſidiam, quem & heluonem, & vinoſum, Satyrorum, hoc eſt, beſtiarum ingenium induere compertum eſt; &, ſi qui eiuſmodi gurgitibus educandi tradantur, nequiſſimos eorumdem mores prorſus combibere, ab ipſo Sapientiæ amore quàm maximè alienos. Haud ita procul chriſtallinas aquas videmus, quas Veneris Auis circumuolat, atque improbæ Mulierculæ circumſtant: ijs publicum balneorum vſum, Chriſtianæ pudicitię haud conſentaneum, notari putauerim. Verùm impudicum hunc, & voluptarium gregem relinquamus; dum formoſiſsimas Virgines, & virtutem ſpirantes intuemur; quarum prior, aſpectu decora, antiquos humero faſces gerens, ſpectabilem Franciſci Cardinalis Barberini Iuſtitiam refert; cui totius Chriſtiani Orbis adminiſtratio ab VRBANO Pontifice concredita eſt.

Virtus



Virtus hæc, cęteris omnibus ſublimior, iure ſuo principatum ſibi vendicat, quæ, vt Philoſophus inquit, Virtutum omnium pręſtantiſsima eſt; nec Heſperus, nec Lucifer tanta homines admiratione afficit. Hæc lynceis oculis vitia, virtutesq; diſcernit, &, iuſta lance, bonis pręmia, improbis pœnas rependit. Huius plenum roboris pectus, ſummam Cardinalis eiuſdem conſtantiam oſtendit; pes nudus, ſynceras illius animi affectiones, atque expeditam in tot Legationibus obeundis celeritatem;

*Ariſt. 4. Ethic. cap. 1.*

exten-

extenſis digitis dextera, munificentiam ſingularem; totius oris grauitas ſimul,& comitas, adiunctam maieſtati humanitatem: Virgæ, arctiſsimis loris adſtrictæ, huius Principis propriam clementiam, atq; in ſupplicijs ſumendis laudabilem tarditatem. Gaude nunc Gallia, feraciſsima omnium tellus; &, quos olim protuliſti betulleos faſces, eoſdemque, ex impiorum manibus non ſemel ereptos, Romanæ Eccleſiæ reddidiſti, Barberinæ nunc Iuſtitiæ humero ſuſtineri feliciter gratulare.

*Plin. lib. 16. cap. 18.*

En ex-



En expreſſam Antonij Barberini Cardinalis, ac Romanæ Eccleſiæ Camerarij, munificentiam in proxima Virgine, pleno Amaltheæ cornu, rerum omnium copiam, & abundantiam referente; qua ſcilicet is non quidem paucis aliquot ad neceſſitatem, ſed vniuerſo propè Orbi ad voluntatem, atque adeò ad ſatietatem ſuccurrit. Hæc ipſa verò copia indicata, & expreſſa pomis, floribuſque, opportuna beneficia oſtendit, quæ, vt minùs ætatem ferunt, ita maturiùs exhibita, gra-

tiſſima ſunt; quæque, ſi verborum lenitate, vultuq́; hilaritate, quaſi florentibus folijs, ornantur, mirum quantum iucundiora fiunt accipientibus: atque huiuſmodi planè ſunt largitiones, quæ ab eodem Principe noſtro ſæpè in ſuos congeruntur beneficiarios. Proximum Virgini Aedificium Vrbana ampliſsima Horrea, Camerarię poteſtati ſubiecta, nuperrima exædificatione, veteribus adiuncta, demonſtrat.

Denique



Denique Heroum, atque Heroinarum agmen hoc totum validus Hercules claudit; Principem Thaddæum Barberinum, Vrbis Pręfectum ob oculos ponens; cui ſcilicet ferrea claua, & militare imperium ab VRBANO Pontifice credita ſunt; vt ſi quæ rapaces Volucres, aut nefariæ Hydrę Eccleſiaſticam Ditionem, & diuturnam quietem temerè turbare auderent, irati Herculis dexteram ęxperirentur. Senſit, ſuperioribus annis, Ferrariæ, eius, non dexteræ, ſed oculorum ſeueros ictus,

exitioſum bellicæ diſciplinæ Monſtrum, Defectio Militum; qua ille ſtatim compreſſa, auctoritate ſolùm, armatus, ad præſidiaria munera redire ſeditioſum, militem compulit. Placidiſſimus interim Princeps, in hac, qua fruimur, tranquillitate temporum, pacis ornamenta colit, atque alit, omnique ſtudio, vel officijs, vel beneficijs, ſubiectorum, exterorumque animos vincire contendit. Quibus autem magnificentiæ argumentis, quàm decoro obſequio, præteritis pariter an-

nis ( vt magna referam ) per Eccleſiaſticas Prouincias Sereniſſimam Reginam Mariam Auſtriacam, inuictiſſimo Ferdinando, Romanorum, & Pannoniæ Regi, qui nunc Imperator feliciſsimè, ac fortiſsimè regnat, deſponſam, ad auguſtiſsimas nuptias proficiſcentem, obuiam is profectus excepit! Quàm perinde honorificè, ac planè regiè ab ipſa Regina, longa Hiſpanorum Regum, ac Cæſarum potentiſsima ſerie conſpicua, habitus ipſe eſt! dum enim Reginam inuiſeret, vix primo alloquio, perhumaniter ipſa conſurgens, nudatum caput operire illum, ac conſidere inſtanter voluit. Idem mox, eo in itinere, apud Anconitanum Neptunum, rapidiſsimas flammas extinguens, nouum veluti Vulcani flammiuomum Filium, iam regalis Hoſpitij tecta inuadentem, miro ardore, oppreſsit; inde, ex ipſa reſtinctione, Procerum, qui aderant, Matronarumque animos maxima erga ſe beneuolentia incendit. Adſuit Principi, tanquam alter Theſeus, Archiepiſcopus Amaſienſis, Fauſtus Polus, idemque Apoſtolico Palatio magnus Præfectus, miſſus à Summo Pontifice Nuncius, qui eius nomine per vniuerſam Ditionem munificentiſsimo cultu, atque hoſpitio Reginam acciperet: quo quidem in munere obeundo, ſeruata vbique Eccleſiaſtica dignitate, apud Sacras præſertim Lauretanas Ae-

des,

des, ſimul & magnificentia prorſus regia, comitate, vrbanitate, quam perpetuò ex Vrbanitatis ipſo fonte haurit; tam pulchrè ſe geſſit, vt omnium animis ſibi deuinctis, cumulata hinc etiam beneuolentia erga ipſum Principem, Reginæ, totiuſque comitatus gratia clarus, ad Pontificem rediens, publico præconio ab omnibus laudaretur in primis.

Reliquum eſt, vt, qui ſigniferum hunc Orbem luſtrauimus, in mediam Cæli partem aciem intendamus, & Diuinam illam Prouidentiam, ſuamet luce circumfuſam, intueamur. Hæc in ſuæ ſimplicitatis arce compoſita, multiplicem rebus gerendis modum ſtatuit, & cuncta pariter, quamuis diuerſa, quamuis infinita, complectitur:

Boëtius lib. 3.

*Proterit hæc pedibus Parcas, hæc Tempus ab Aeuo*
*Ire iubet, ſtabiliſque manens, dat cuncta moueri.*

Circumſtant Virgines lectiſsimæ, Iuſtitia, Pietas, Aeternitas, Sapientia, Potentia, Veritas, Pulchritudo, Pudicitia; atque ex eius ore, nutuque pendent: verùm tot illam lumina, tantusq; ſplendor obuoluit, vt planè mortalium oculos, menteſq; perſtringat: quamobrem ſatis conſultò aureas Apes proximè adiectas crediderim, quæ non tam Pontificis gentilitium Inſigne, quàm occultam, atque inexplicabilem Dei Prouidentiam hu-

humano aſpectui vtcumque ſubijcerent. Apis, ſi ad corpus ſpectes, minimi profectò momenti Animalculum videbitur; ſin autem naturam, moreſque conſideres, magnis illam quibusq; Animantibus longè pręſtare cognoſces; quæ, quò infirmior externis viribus, & robore, eò validior videtur; adumbrato quodam vigore Sapientiæ, atque ingenito, vt ita dicam, amore Virtutis: vt de hac maximè dictum putem, nunquam alibi Naturam, quàm in minimis, totam eſſe. Huius benè conſtituta, optimè adminiſtrata Reſpublica, quantorum Virorum in ſui admirationem traxit ingenia! Vnus ille Solenſis Ariſtomachus duodeſexaginta annos in Apum contemplatione conſumpſit: quibus, plurimorum ſententia, inter cętera Inſecta, meritò principatus, & præcipua admiratio debetur, ſolis, ex eo genere, Hominum cauſa genitis. Verùm hęc omnia cum alijs quoque Animantibus Apes habent fortaſſe communia; quorum ſcilicet admirabile opificium ſummi Artificis ſapientiam, virtutemque commendat: Illud verò earum proprium eſt, vt ſuis ipſæ moribus Diuinam nobis Prouidentiam ad viuum exprimant: ſiquidem Apes, quò ingenio ſolertiores, eò ſecretiores in ſuis operibus ſunt; adeò vt, cùm perfectam, expletamque omnibus ſuis numeris, & partibus

*Plin. lib. 11. c. 9.*

bus ſibi Regiam ædificent, nullis eam tamen feneſtris exornent; ſed, obſtructo vndequaque ceris ædificio, anguſtiſſimum ſibi aditum relinquant, nec alteri cuipiam penetrabilem. Quid, quòd ea morum quodammodò ſuauitate, & manſuetudine præditæ ſunt, vt non alium ſibi Regem eligant, quàm, qui aculeo ad vindicandum non vtatur? num quicquam in hac rerum natura videmus, quod expreſſiùs referat ſecretiſsimam illam Dei Prouidentiam, quæ cuncta fortiter, ſuauiterq; diſponit? Quamobrem hoc ipſum Inſigne non tam à Maioribus, quàm è Cælo VRBANVM accepiſſe crediderim; quippe qui Diuinæ Prouidentiæ Interpres, atque Arbiter olim deſtinabatur: nec mirum, laureo ſerto illius Apes includi, qui Catholicæ Eccleſiæ gubernacula tenet, quam nulla vnquam fulmina, nullæque procellæ, vel ſi ab inferis excitentur, concutere poterunt: An verò læuum quid patiatur, quem lapſæ è Cælo Virtutes, & diuini Satellites cuſtodiunt? Alatum Puerum, lauream manibus geſtantem, Pontificiæ Poëſeos præmia demonſtrare exiſtimauerim, qua ille Nazianzenos, Paulinos, Damaſos, cęteroſque ſanctiſsimos, & doctiſsimos Viros ęmulatus, mirum quantum in quolibet eius genere floruerit. Meritò igitur Cęli Claues tanto Viro Religio defert,

ſert;atq; hinc Regina Vrbium Roma triplex Diadema, hinc ſideream Coronam Immortalitas, offerunt. Numiſmata, veteribus hiſtorijs expreſſa, morales Principis Virtutes referentia, iam ſatis ſuperque initio ſpectauimus. Equidem, ſi alteram eorum faciem aſpicere liceret, adamuſsim videres quæcumque Pontifex fortiter geſsit, quà cunctando, quà impudentes abſterrendo, quà innoxios vindicando; videres animi moderationem incredibilem, qua honores, & dignitates adeò non affectauit, vt delatum legitimè olim Eccleſię Principatum recipere noluerit, niſi, initis iterum ſuffragijs; ne vel minima diſſenſio adeſſet: ſexcenta inſuper huiuſmodi facinora videres, quæ hìc arduum eſſet enarrare. Intereà, dum ſcribendi, & ſpectandi finem facio, illuc reuocare me ſentio, vbi, ad Iuſtitię pedes, roſtro, atq; vnguibus armatus Gryphus emicat, nimirum antiquum Auguſtę noſtrę Peruſię Inſigne; huic enim proximus Puer ferrum ſtringit, & vibrat, quo ſcilicet nos ipſos, noſtroſq; Poſteros moneat, quantum VRBANI Pontificis beneficentię debeamus, cuius nutu tot Equitum, Peditumq; Duces ex noſtris Ciuibus accerſiti, & militaria decora adepti: quos ego ſi recenſere voluerim, te plus nimio morer. Puer alter, antiquos humero faſces perferens, Iuriſprudentię ſtudia, eodem Pontifice adiuuante, apud noſtros inſtaurata ſigni-

ficat. At me longiùs, quàm par erat, loquendi tecum auidus amor traxit; & immortalibus Principum noſtrorum meritis impari nimiùm, atque inepta dictione obſtrepere, præter conſilium, non dubitaui. Tu illa quidem, ſuo lumine clariſſima, re magis, quàm aliena commendatione reputabis, ac ſuſpicies: & audaciæ interim meæ, quæ tua eſt humanitas, libenter ignoſces.





12



S.

: , &,
rofe-
rina-
tuli,
diùs
rio ,
j no-
re:
cet ,
entis
àrem
i ta- *Plin. Hiſt. lib.35. cap. 11.*
Emi-
s eſt
turę
m-

li tecum


Romæ
Andreas Sacchi Romanus Inuentor Michael Natalis Leodius Fecit

A D

# ALEXANDRVM DE ODDIS.

PAREO, Iuuenis Nobiliſsime, &, quam tibi nuper, in Galliam profecturo, raptim legendam Barberinarum Aedium Deſcriptionem obtuli, hanc modò per otium commodiùs recognoſcendam ad te mitto; adiecto etiam auctario, altera ſcilicet ſcriptiuncula, qua Andreæ Sacchij nobiliſsimum Opus, vtcumque eniſus ſum exprimere: in quo quidem tantum ingenij, tantum artis elucet, vt illud intuitus olim Cęſareus Orator, atque intentis oculis contemplatus, exclamauerit, O' vtinam Cęſarem Dictatorem illum imitari liceret, qui Timomachi tabulam octoginta talentis redemit! *Plin. Hiſt. lib.35.cap. 11.* quod cùm Eminentiſsimus Princeps noſter intellexiſſet, quę ipſius eſt humanitas, & munificentia ſingularis, eiuſdem Picturę

exemplum ab ipſomet Sacchio exprimendum, & ad Oratorem ſtatim deferendum curauit: quo nihil vnquam gratius ſe accepiſſe Vir Ampliſſimus teſtatus eſt. Nec verò, mea ſcriptione, recentem, ac primam Sacchij notitiam iſtuc acceſſuram crediderim; cuius Tabulæ, ſuperioribus annis, in Galliam deportatæ, magnum illi honorem, & laudem apud omnes conciliarunt: dignum ſanè munus, quod à Principe noſtro, Regis Chriſtianiſſimi oculis ſubijciendum, ad Eminentiſſimum, & Sapientiſsimum Principem Cardinalem Richelium, maximum illud Regni Gallici ornamentum, deferretur. At ò vtinam, (exclamare libet etiam mihi) Attalus eſſem, & centum talentis huius operis exemplum ab Auctore alterum emerem, & ad te mitterem! Tu verò, quod tuum eſt in rebus omnibus acutum, & perſpicax ingenium, multa in ipſis vmbris, non ſolùm picturæ, ſed latentis virtutis lumina videbis; & tibi ipſi, hac lectione, nouo fortaſsis virtutis amore aucto, gratulaberis, incolumem te ad celeberrimum Gallicanum Orbem iſtum perueniſſe; vbi ſpirantia virtutum exempla facillimè recognoſci poſſunt; nec bellica virtus, quam in primis amplexari auidè percupis, vſquam gentium magis expleta, magiſq; cumulata ſuſpicitur. At,

*O' præ-*

*O' præſtans animi Iuuenis, quantùm ipſe feroci*
*Virtute exuperas,* Virg. Aeneid. lib. 12.

tantò impenſiùs beneuolentiam Ampliſsimi Præſulis Mazzarini, ad quam & Martinozzius, Domui noſtræ magnus Præfectus te inſinuauit, ſummo ſtudio, atque obſeruantia excole; facillimè enim eius animi celſitudo, & gratia, quæ illi eſt maxima cum Rege, & Cardinali Richelio, ante reditum, quem proximum, & feliciſsimum Gallicum Cælum appromittit, Aulaque noſtra optatiſsimum expectat, ſpatioſum aperient tibi ad percurrendum militaris gloriæ campum. Nos verò, quemadmodum Domi tuæ Iulios, Legum oracula in Romano foro peritiſsimè reſpondentes, & Cæſares ſimul, quando ius ſit in armis, adeſſe videmus; ita Alexandros breui non defuturos ſperamus.

Quoniam verò pulcherrimum Aulæ magnæ fornicem ſatis aſpeximus, operæ pretium erit, interiorem Domum penetrare, vt, quod diximus, elaboratiſsimum Sacchij Opus contemplemur. Igitur, in ea Aedium parte, quæ ad Septentrionem ſpectat, patet adeuntibus nobile Cubiculum, quò ſe tunc maximè Princeps recipit, cùm ad ſe introeuntes excipit, auditque: explicat ſeſe, ad intimam Cubiculi coronam, aurea zona, ca-

tagraphis depicta, nempe obliquis, & variè efformatis vultibus, quos, admirabili quadam diuerſitate, & inordinato quodam ordine, videas reſpicientes, ſuſpicientes, deſpicientes. Hac porrò aurea zona, ſublime Auctoris ingenium eo artificio Cæli molem includit, vt ſuis motibus volui, atque reuolui ſpectantium oculis videatur. Medium Cæli ſpatium, Regio in ſolio, ſeù potiùs in Curuli aurea, ſedet Virgo pulcherrima, pretioſo diademate coronata, glaſtina veſte, & nitido velo amicta; in huius ſinu Sol emicat, & puriſſimæ lucis radios vndecumque diffundit: ſiniſtra ſpeculum adamantinum, dextera oculatam ſuſtinet virgam; vt, primo ipſo aſpectu, Diuinam hanc eſſe Sapientiam, intuentium quiſque intelligat. Eam Puellæ vndecim circumſtant, eiuſdem atque ipſa pariter ætatis, & ordinis; quæ quidem, quaſi lucidiſsima ſereno Cælo Sidera, collucent, atque omnis planè luminis defectus neſciæ, noctu iuxta, atque interdiu,

*Ouid. Metam. lib. 2.* *Clara repercuſſo reddunt ſua lumina Phœbo.*

Ad Sapientiæ pedes ſedet Virgo, pallenti vultu, atque ad modeſtiam, humilitatemque compoſito; ianthina corpus obtegit tunica, velo caput ohnubit; altera manu Crucem ſuſtinet, altera Aram tenet, & Sanctitatem, ore, atque habitu corporis præfert. Hæc autem

in pro-

in proximam ſibi Virginem defixos oculos tenet, quæ compto crine decora, candidulo amictu, & pallio fulgineo inuoluta, puriſſimum, ac ſuauiſſimum odorem expirare videtur; tum niueum Cycnum in ſinu fouens, intimum animi candorem exprimit, monetq́; quàm felix tandem, dulcisq́; exitus eos maneat, qui ſanctitatem, puritatemq́; toto pectore coluere. Infra hanc ſedet altera, compoſitoque capillo, polymita nitet veſte; atque inflexa dextera ſuum ipſa ſuſtinens mentum, in ſublimem Solem aciem intendit oculorum: propter hanc Aquila excubat, fuſca pluma, nigrisq́; pennis, quæ ardentibus oculis, Perſpicacitatem, quaſi Dominam, eandem deſignat. Proxima huic Virgo aſſidet, fronte nitidiſſima, aureo crine, ridenti ore, ſcintillantibus oculis ſpectabilis: niueum pectus, ſororianteſque mamillæ, cæterumq; corpus, nullo velamine opertum, ſed aperta omnia, & nuda, niſi quod pudor tegit, veram hanc eſſe Pulchritudinem oſtendunt, puriſſimam illam, & cultus omnis expertem: nihil enim aliud repræſentare, crediderim abſciſſam, quam tenet dextera, Berenices Comam, niſi deuictum muliebrem mundum, atq́; effuſum Fæminarum luxum penitùs triumphatum. Hæret Diuinæ Sapientiæ lateri, diuino planè vultu, & decore, Puella, quam ſi regio inſidentem ſolio videas,

ipſam

ipſam profectò Sapientiam dixeris; adeò ſimilis eius eſt effigie, atque omnibus corporis lineamentis: albo theriſtro ſe tegit, praſina ſtola præcingitur, tænia cymatilis ſparſos vndique per collum capillos vincit: hæc porrò trilaterum inſtrumentum manibus complexa, ipſam ſe Deitatem eſſe nobis præſertim demonſtrat, qui & Triadem in Monade, & Monadem in Triade agnoſcimus, ac veneramur. Præbet ſe Virgini comitem Puella robuſtiſsima, aſpectuque decora: lurida palla, ad talos demiſſa, tegitur; curuatus in orbem, ſiniſtræ inſidet,

Claudian. de laud. Stilic. lib. 2.

*Omnia qui placido conſumit numine, Serpens,*
*Perpetuumque viret ſquamis, caudamque reducto*
*Ore vorat, tacito relegens exordia lapſu.*

Quamobrem expreſſam ingeniosè Aeternitatis ſpeciem agnoſcimus, quantumuis illa ſit ab humana cognitione omninò ſecreta. Adeſt altera huic propior; non illa quidem alieno, atque inſigni corporis habitu, ſed ſuamet ſpecie, ac ſuo ſplendore ornata; quamuis enim pannoſam induat veſtem, incredibile eſt, quantum decoris, quantum ſplendoris effundat; dum ſimul auream coronam læua ſuſtinet, & nobiliſſimo cuique offert. Quam vides, prono vultu, oculoſque in vtramque libræ lancem rectos intendere, palmatamque togam induere,

duere, haud difficilè eam eſſe intelliges, quæ

*Vltima cæleſtum, Terras Aſtræa reliquit.* *Ouid. Metam. lib. 1.*

vt tamen haud deſpiciat noſtrum hoc ſeculum, ſed potiùs, quod olim Vates, idemque Rex Sanctiſſimus prædixerat, è Cælo benignè proſpicere videatur. Quæ verò byſſina veſte, & flauo crine refulgens, humerum, lacertumque nuda, nodoſam ſuſtinet clauam, Fortitudinem haud dubiè refert; & delicato pariter, ac robuſto corporis habitu, humanam planè, ac ciuilem hanc eſſe Virtutem nos admonet, non agreſtem non feram: quamobrem eius lateri conſultò adiunctam opinor Puellam elegantiſsimam, quæ, comis adducto ſupra frontem nodo reuocatis, miniatulam induens tunicam ſtrophioque caſtas papillas cohibens, ὄργανον manibus complectitur, tangitque tam ſuauiter chordas, vt ipſam dixeris Harmoniam. Poſtremum denique obtinet locum Virgo, vultu decoro, atque hilari, thalaſsina veſte induta, aureis ſideribus contexta, cærulea vitta frontem redimita; quæ altera manu Spicam tenens, multa prole fœcundam, & ariſtarum vallo munitam, prono in terram vultu, benignè nos reſpicit; & fœcunditatem rebus omnibus impertit. Adſunt præterea Pueri, pharetra, & ſagittis armati, qui ad nutum Diuinæ Sapientiæ, expediti huc

illuc inter Virgines curſitant. Horum alter alato dorſo conſpicuus, Leoni inſidens, & ferocientem belluam ſericis habenis coërcens, totum diem iaculatur, atque igneis telis mortalia corda transfigens, ad amorem Diuinæ Sapientiæ, miris modis, inflammat: alter itidem alatus, pallidulo vultu, aurito Lepore vehitur, atque argenteis telis armatur, quorum cuſpis ex glacie ſegniorum corda tranſuerberat, & ad ipſam Sapientiam impellit: eoſque exemplum habere dixerim affectus gemini, Amoris, Timoriſque, quibus variè Homines adacti, mandata implent Diuina. Ipſas verò dias Imagines, veluti ſplendidiſsimas perſonas quodammodò loquentes induxit Sacchius, eo potiſsimùm conſilio, vt Barberinæ Familiæ Poſteri, Diuina gubernante Sapientia, ad Rempublicam Chriſtianam adminiſtrandam identidem euocandi, mutæ huic loquelæ pareant, ſeſeque accuratè componant ad VRBANI exemplum, cuius Sapientiam, huic Diuinæ proximam agnoſcimus; cuius innocentis vitæ candor Sanctitatis huius fulgore coruſcat; cuius acies, in remotiſsimis quibuſque rerum momentis prænoſcendis, ipſam Aquilæ perſpicacitatem vincit; cuius nudum, & apertum pectus, amorem erga omnes oſtendens, quantam vel alienarum mentium beneuolentiam ſibi conciliet, pudica,

nec

nec terreſtris, Amorum Dea demonſtrat: cuius in Deum Pietas, ad Diuinitatis voluntatem ſeſe conformans, ad eandem colendam allicit omnes: cuius perpetua rebus in omnibus norma, cæleſtis Perpetuitatis ratione, nunquam declinat: cuius Fortitudo, blanda veſte contecta, placidiſſima ſimul, & robuſtiſſima, & delectat, & deterret. Quàm ille feliciter, vrbana Iuſtitia, virtutibus præmia, vitijs pœnas rependat, ab ipſis Libræ lancibus inſpectis docemur: quàm liberaliter ille, ſua ipſius generis claritate permotus, honore, ac dignitate illuſtres cumulet Viros, ipſa Nobilitas, manus, vt ita dicam, coronata, exprimit: quàm affluenter ille bonorum omnium abundantia populorum deſideria compleat, fœcundiſſima illa frumenti Spica præſignat. Ex ipſa verò Harmonia canente, quàm ſuauiter ille canat, &, qui in cælo exaudiuntur, concentus recinat, dum ijs ſtudet Mortalibus Dei amorem euocare, quis hominum non audiat? Quæ corda, Virtutum ardore ſuccenſa, iaculantis Aligeri telis ad Principis venerationem, cultumq; non inflammantur ardentiùs? Quæ denique tepentia, ſi quæ ſunt, pectora alter Aliger timoris ictibus ad eandem venerationem vltrò non concutit? Talibus adeò, tantiſque monitis, ad Chriſtianam Rempublicam rectè, ſanctèque gerendam,

tacitè inſtruere, mores, arteſque eximia hæc exempla tradere videntur.

Age verò, è Cælo demum oculos deflectamus in Terram, quam tanquam latifundium Sacchius finxit; cuius in gremium ſacræ Virgines virtutum aureum imbrem iugiter effundunt; ad quod pariter arcum ſuum intendunt iaculatores Pueri. Hunc globum idem eo artificio expreſſit, vt quodammodò priorem æquè, ac poſteriorem faciem oſtendere noſcatur. Hoc porrò Terræ ſpatium ſi quis deſpexerit, qui modò oculos in Cælum, & in ſplendidiſsimum Diuinæ Sapientiæ vultum defixerat; quàm arctum, quàm anguſtum exiſtimabit! equidem verum eſſe fatebitur, quod ab Aſtronomis apertè demonſtratur, omnem illius ambitum, ſi cum Cæli regione conferatur, puncti obtinere rationem, hoc eſt, nullam in ſe partem prorſus habere. At nos Homunculi, qui prono in terram vultu, veluti carentia ratione Animantia, Cælum nunquam reſpicimus, infima, & humilia hæc, tanquam ampliſſima, admiramur; & dum ad ſingulorum aſpectum obſtupeſcimus, omnes Mundi plagas pertingendi deſiderio vehementer angimur; & ſi montes, ſi flumina, ſi maria ſeſe oculis offerunt, mœremus. Verùm huic curioſitatis malo, quàm facilè,

cilè, quàm ſæpè noſmetipſi medemur, hanc ab ingenioſiſſimo Artifice expictam Mundi machinam intuentes! Quanta quanta enim Terra eſt, quantum Prouinciarum, Vrbium, Montium, & Fluuiorum in ſe continet, id planè totum in paruum hunc globum collectum, atque contractum inſpicimus; & quacumque iter facere libuerit, nec latronum pericula nos detinent, nec viarum aſpera, nec montium prę̨rupta deterrent; non quadrigis, non equo, non pedibus vtendum nobis eſt; vno intuitu quò arrideat peruenimus; cùm primùm volumus, ſtatim vbique ſumus. Hinc fit, vt quà maximè gratum ſit, nullo planè negotio, nullaq; interpoſita mora, iter ingredi valeamus: quamobrem extemplò nobis aderit

*Quæque naſcentem videt ora Solem,* Senec. Hippol. Act. 1. Chor.
*Quæque ad Heſperias iacet ora metas,*
*Si qua feruenti ſubiecta Cancro eſt,*
*Si qua Parrhaſiæ glacialis Vrſæ.*

Si quando verò libuerit noſtrorum Principum itinera, & veſtigia recognoſcere; vno temporis momento, è Neroniano Portu ſoluimus, & per Liburnicos ſinus Liguriam aduehimur; mox Braccatæ Galliæ littora emenſi, Tholoſam venimus; hinc Cabellionem, Auenionem deinde, Lugdunum poſteà; ad Regiam denique

Gal-

Gallorum Vrbem appellimus. Ex ea mox digredientes, Tectoſagis relictis, Maſsiliam rectà contendimus; atque haud ſalutarem olim noſtris portum (vulgò Turrem Buccari appellant) declinantes, per Narbonenſe fretum Barcinonem inuehimur; reliquo deniq; viæ ſpatio confecto, ad Regiam Hiſpanorum Aulam feliciter peruenimus. Hæc nimirum littora, has oras, Vrbesq; luſtrauit, ſuperioribus annis, Franciſcus Cardinalis Barberinus, ad Reges ab VRBANO Pontifice Legatus, atq; vnà decorum ſuorum lumine illuſtrauit. Interdum etiam viciniores Prouincias percurrimus, Etruriam, Vmbriam, Aemiliam, Ciſalpinos fines, atq; Eridani amœna littora; quæ ſcilicet loca Eminentiſsimus Princeps noſter, dum pręclariſsima ad vniuerſos fermè Principes Legatione fungeretur, virtutum ſuarum veſtigijs impreſsit. Additam denique ad Metaurum Ditionem, ſub VRBANI Pontificis feliciſsimis auſpicijs, maxima cum animi iucunditate, ſpectamus; eundemque Principem noſtrum, in fidem, poteſtatemq; populos accipientem, benignitate, liberalitate, alijſque virtutibus omnium animos redimentem, conſpicimus. At quoniam, Pictoris beneficio, qua facilitate Orbem propè vniuerſum, vno oculorum ictu, obimus, eadem pariter è Terra in Cælum aſcendimus; illuc quæſo,

vnde modò diſceſſerat, noſter reuertatur aſpectus. Et quoniam haud potis ſum, tibi oſtendere, quod ſuperioribus annis noſtris oculis vidimus, nimirum in hoc Cælo triplicem Solem; hìc ſaltem, dum ſcribendi finem facio, breui oratione aperiam. Acceſſerat ad has Aedes VRBANVS Pontifex, cui opportunè in hoc ipſo Cubiculo appoſita menſa, incidit tum ex inopinato lectio de Diuina Sapientia: quamobrem admirari Proceres, quique aderant cæteri, &, arcano quodam Numinis conſilio, præclarè factum, quiſque ſubmurmurare: vt tum demum Diuinam Sapientiam, ſibi nunquam viſam, niſi tenebris, aut certè velo aliquo obductam, apertè intueri, ac, veluti reducto ſipario, contemplari cuique liceret; ſcilicet in Sacris Paginis Diuinam illam, & planè Archetypam, in VRBANO Protypam, in Pictura Ectypam. Quantum verò inde lucis, quantum ſplendoris, tum Aedibus, tum ijs omnibus acceſſit, qui ſummo Principi adſtabant! Profectò, quemadmodum parietes ipſi geſtire videbantur, & ſibimet tantum honorem gratulari; ita nos, confidentes præ lætitia, quaſi in ipſam Diuinam Sapientiam rapti, nihil obſcuri, nihil impenetrabilis exiſtimabamus in poſterum poſſe nobis occurrere: quæque animo ſanctiſſima venerabamur oracula, legebamus tum

apertè,

apertè, in dictis VRBANI, factiſque explicata, atque inconcuſsè firmata; in ijſque ipſam Principum noſtrorum tam accuratam ſolertiam, tam mirificam agnoſcebamus, cùm illi ſapienter adeò, ac feliciter cuncta Pontificis imperia peragerent: eorum enim mentes tanta perpetuò luce perfuſas, quanta tunc nos iucundiſsimè fruebamur, aberrare nullo pacto poſſe pro certo reputabamus. Optarem ſanè, in hoc te incidiſſe ſpectaculum; equidem illud, inter plurima, ſeriò didiciſſes, Ad res omnes dignè perficiendas, ac primo loco ad bellicas artes cum gloria pertractandas, Sapientiam, cuius initium timor Domini eſt, omni ſtudio eſſe adhibendam: etenim, *Habebo per hanc* (inquit Sapiens) *immortalitatem*, & *in multitudine videbor bonus*, & *in bello fortis*.

*Sapient. cap. 8.*



AD




AD PATREM

# D. PLACIDVM VIBIVM,

## CAMALDVLENSEM EREMITAM.

QVI modò recurrunt Autumnales dies, adeò me tuæ conſuetudinis deſiderio afficiunt, vt nihil mihi longius ſit, quàm vt te videam; vberrima enim vindemia, quam, ſuperiore Autumno, ex alloquijs tuis collegeram, in memoriam redacta, ac veluti reducta ad torcular, ſitim non extinguit, ſed accendit. Iuuat me nunc feliciſſimas iſtas Engaddi vineas animo ſaltem reuiſere, vbi nuſquam labruſcæ, aut ſpinæ ſeſe offerunt, ſed vbique balſamum odorem diuinum ſpirat, & Botrus ille Cypri pendet, atq; emicat; veſtrum, ego inquam, Montem, cuius Incolæ meritò *Coronati poſsident palmam*,

Pſalm. 64. & Dauidicum illud concinunt, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*; cuius culmen, Cælo proximum, ima terrarum faſtidientibus, in magnam planitiem expanditur; cuius vmbroſi luci peregrinantibus ad ſidera lucem ferunt; vbi ſemitæ, vel tonſili myrto, vel denſa cupreſſo, virentíue lauro marginatæ, ad beatitudinis metam iter facientes, amœno aſpectu, recreant; vbi cæleſtes auræ, placidiſſimo afflatu, & frigoris, & caloris modum temperant; & ſi quando canas niues afferunt, candidis Incolarum mentibus certare videntur. Hìc annoſa Abies, mortiſque memoriam excitans Cupreſſus, non otioſæ vigent, virentque; ſed ſua proceritate Scalam illam, ab Anachoreſiarcha veſtro viſam, repræſentant, per quam ſcilicet Monticolæ, & Cælicolæ aſcendunt, & deſcendunt. Quid memorem ſparſas vbique miro ordine Aediculas, in quas, diurno, nocturnoq; labore feſſi, ſacri Montis Ciues ſe recipiunt? ad eaſque, ſuo quisq; ſarculo hortulum colere gaudet, ſuaque manu partis, paratisq; cibis, tenuem inſtruit menſam, quæ neceſſitati faciat ſatis, non delicias miniſtret. Hunc Montem, hanc Syluam non circuit Stygius Leo; nullas hìc Feras, ne paruulas quidem Vulpeculas latibula contegunt; omnia tuta, tranquilla ſunt omnia. In hoc igitur terrarum Paradiſo, qua me comitate, qua

bene-

beneuolentia excepiſti! quo me genere ſermonum recreabas, qui vtiles, imò ſalutares mihi in omne æuum eſſent! Hærent animo pręclara monita, quibus leuiora Aulæ peccata ſuauiter perſtringebas; neque enim grauiora illa ignorabas abeſſe procul ab optimi Principis Domo, de qua meritò Carmen illud vſurpari poſsit,

*Domus hac nec purior vlla eſt,*
*Nec magis his aliena malis. nil mi officit vnquam*
*Ditior hic, aut eſt quia doctior: eſt locus vni-*
*Cuique ſuus.*

*Horat. Satyr. lib. 1. Satyr. 9.*

Tu verò me ad æternos illos Cæleſtis Aulæ honores inuitabas; reliqua omnia inania eſſe, & fluxa apertiſſimè demonſtrabas: quamobrem ego iam ab omni ſpe humanarum rerum me abripueram, &, pręter vnum Cælum, cœnum omnia arbitrabar. Mons ille Tetius, qui nobis in proſpectu erat, cuius poſſeſsio, ſumma Principis beneficentia, ad me, Cognominis huius poſtremum, redierat, elata quamuis fronte ſe nubibus inſerat, euanuerat repentè, & planè defluxerat. Fundus vber auitus, qui ad ipſius Montis radices lento gradu inſurgit, & latè ſedet, molliterque deinde declinat ad Tiberis vndas, longo ambitu ſpatioſos campos interſecantes, eoſque, Cereris, & Bacchi quaſi caſtra, tuentes,

veluti inanis mihi, & pauper, ſorduerat: tu quoque

*Stephon. Od. de Vil. Tet.*

*O' Tetiana Villa, Peruſini ſoli*
*Ocelle feſtiuiſsime;*

Stephonij illius, Tragicorum, & Lyricorum optimi, carmine inclyta, vt eius olim pręſentia, ſupra ipſas priſcorum Cęſarum Villas, nobilitata; mihi omninò vilueras. O' me ter, & ampliùs felicem, ſi ad te redeundi ſępiùs facultas detur! Sed cur tu, quęſo, quod aliàs decreuiſti, ad Tuſculanam hanc Anachoreſim aliquando non venis? O' quantum mihi gaudij, quantum vtilitatis acceſſerit, hoc ſi impetrem! quàm vellem interdum, ex his me, quas Vrbium cœtus ingerunt, curis ſubducere, &, quaſi ex longa nauigatione, in portum veſtrum confugere altiſsimę tranquillitatis! iampridem enim canos meos receptui canere ſentio, atque alio properandum, quotidiana exempla nos admonent: hęret cordi domeſticum illud, atque recentiſſimum Funus lectiſſimæ Fœminæ Lucretiæ Florentiæ; quæ non minùs opulento patrimonio, quàm virtute diues, ex multis primariæ nobilitatis in Patria Viris, itemq; opibus, gratia, ætate pręclaris, vni Orlandino Vibio, tui germano Fratri, meæq; dilectiſsimæ Coniugis, non magis inſpecto illuſtri, ac vetuſto, quo claret, Maiorum genere, quàm eius probitate, atque prudentia, in matrimonium ſeſe adiungere

ma-

maluerat; demum verò præmiſſum vnicum trimum Filium, quem precibus, votisq; ſuſceperat, aquoſo ipſa enecta morbo, liquatisq; pulmonibus, conſtanti animo ſecuta eſt; & quæ Domus, hilaris, atque feſtiua, perhumaniter, ſuperiore anno, exceperat nos, cùm ad te venimus; en, in ſummo luctu, ſummoque vndique dolore verſatur: ò rerum humanarum admirabilem inconſtantiam! Age ergo, humaniſsime Pater, &, quando nobis te adeundi, & tibi ad nos redeundi denegata eſt facultas, noſtræ vltrò, citròque commeent litteræ, & mellifluo ſermone tuæ meum recreent animum. Interim accipe, cum hiſce meis, Deiparę Virginis ad Pręſepe Sacram Imaginem, quam Pater ille Camaldulenſis, præteritis diebus, ad Tuſculanam Eremum properans, tuo nomine popoſcerat, &, veluti digna antidora, reliquerat precarias Coronas, quas quidem ego venerari, & deoſculari non deſiſto; quantum enim pietatis, quantum humilitatis faginei expirent orbes, manibus eorum tornati, qui terrarum hunc Orbem contemnunt, ac pedibus proterunt, ſat ſcio. Et quoniam Cęli Reginam Angelorum agmina iugiter ſequuntur, alteram Tabulam addidi, in qua eorum Imagines, non typis impreſſas, non penicillo depictas, ſed rudiori quodam ſtylo delineatas habes: hoc eſt, breui explanatione deſcri-

deſcriptum, quod in Aedibus Eminentiſsimi Principis noſtri depinxit Andreas Camaſæus, propè diuinum Opus, Angelorum ſcilicet creationem; dignum planè, quod, & ab omnibus vbique terrarum ſpectetur, & vel ad penitiſſima Eremi veſtri Nemora penetret: nec fortaſſe ad alios opportuniùs, quàm ad vos, deuenerit, quippe qui Sacrarum rerum imagines pura, ac libera mente pertractantes, ſoli inter mortales diſpicere poteſtis quantùm humana induſtria ad Archetypum accedat, dum beatiſſimos Spiritus vtcumque adumbrare conatur. Quòd ſi Camaſæi exemplar, non rude hoc noſtrum, atque impolitum exemplum ad te mittere poſſemus, certè è Cælo deſumptam Angelorum ſpeciem diceres; & Camaſæum veriùs, quàm Parrhaſium, Abrodiætum appellares.

*Plin. lib. 35 cap. 10.*

NOBILISSIMO Cubiculo, cuius Cælum multis ſideribus, ac Diuinæ Sapientiæ radijs illuſtratum cernitur, adhęret ad lęuam alterum, huius ſimillimum, pars cuius ſuperior pulcherrima corona circumdatur, & varijs cęlaturis artificiosè ornatur. Hìc verò, non per ſymbolicas figuras, ſed per proprias, eaſque notiſsimas, Imagines, Camaſæus nobis aperuit Diuini Numinis Regiam, beatiſsimarum Mentium longè feliciſſimas oras; vtque harum immenſam exprimeret vaſtitatem,

tatem, cuius terminum aliquem reperire fruſtra conatur humana ſapientia, an inſipientia? quicquid hominum ineptiſsimi & inueniſſe ſe dixerint, & ſua inibi intermundia ſomniauerint; depinxit puriſsimæ lucis ſcaturigines, vſquequaque diffuſę:

*Tum Pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas,* *Virg. Aeneid. lib. 10.*

ex hoc luminis, candoriſque, vt ita dixerim, abyſſo ſeſe explicans, à Camaſęo nobis proponitur ſuſpiciendus; cano capillo, & barba, vegeto, ac viuido vultu, vt initij, finiſq; expertem intelligas; dexteram, lęuamq; ad imperandum extentas vides; quò nimirum Omnipotentem agnoſcas: nudi cernuntur pedes; vt planè ἅγιος, & ab omni perturbatione liber oſtendatur. Cęruleum eius pallium, Cęli ipſius orbes, quibus propemodum amicitur, demonſtrat. Supremam hanc Numinis Maieſtatem Cęleſtium Spirituum, ſuis diſtincta claſsibus, agmina circumſtant. Porrò nullas vacuas, atque inanes ſedes aſpicias; neq; enim aliud Camaſęum expreſsiſſe exiſtimauerim, quàm feliciſsima illa Angelicæ Naturæ primordia, cùm, ſcilicet, nondum Luciferum, ac deſertores Angelos propria ſcelera de cæleſti ſede ad infernas tenebras detraxiſſent. Diuinę autem Maieſtati proximè adſtare, miro quodam artificio, Seraphim, Cherubim, & Thronos, inter conſpicuos magis Diuinitatis

radios,

radios, ſuperiore loco, nobis oſtendit; &, quòd eorum aſpectus, longè pulcherrimos, non ita facilè penicillo imitari ſe poſſe cognouerat, tenuiſſimis ſplendoribus, veluti aureo quodam velo, eos leuiter operuit; ita tamen, vt ex eorum vultibus, diuini amoris igne ſuccenſis, ſcintillæ aliquot proſilire videantur, ſuumque incendium in proximos ſocios diffundere, qui in Deum, quem flagrantiſſimè diligunt, altiſsima contemplatione defixi ſunt: ex his Throni, quibus ipſamet Diuina Maieſtas inſidere videtur, eiuſdem veluti regia ſolia, cernuntur immobiles. At vbi æternæ illius lucis ſplendor aliquantò remiſsior apparet, Dominationes, Poteſtates, Virtutes retulit, generatim hanc ipſam lucem, dies, noctesque, nobis ſuo quaſque ordine adminiſtrantes. Sed iam paulatim rarefacto, ac decreſcente Diuinitatis fulgore, viciniores nobis expreſſit Camaſæus Diuinæ Mentis interpretes, ac nuncios, Principatus, Archangelos, Angelos: & quoniam ſinguli innumera propemodum, Mortalium bono, munera obeunt, quò quiſque faciliùs dignoſci poſsit, palmis, ſceptris, coronis, vnumquemque diſtinxit: qui de rebus priuatis acturi, ad priuatos homines delegantur; vel qui nobiliori legatione, in concilio, aut ſenatu grauiora negotia obeunda ſuſcipiunt; eos cęteris prom-

ptiores,

13

en-
an-
au-
lex-
ſto-
na-
na ,
Ho-
hri-
Ho-
um
mi-
n ,
n ,
anè
nu-
pſi-
rri-
es .
ve-
aut
or-
ſta
re-
,



ptiores, alacriores effinxit: qui verò in hominum mentes virtutes inſtillant, atque ingerunt, hos lætos, ouanteſque, palmas manibus præferentes, oſtendit: qui autem Regibus, atque Dynaſtis aſſident, ſceptrum dextera ſuſtinentes videas. Porrò, qui ad noſtram cuſtodiam mittuntur, Spiritus adminiſtri, quà non humanitatem, quà non amorem præſeferunt? Qui Regna, & Prouincias protegunt, aureis coronis ornantur. Horum autem alios, læto, atque alacri vultu, videas Chriſtianam Rempublicam gubernantes; alios verò Hominum caſum, miſeriamq; dolentes, perditos nimirum barbarorum, atque hæreticorum mores impensè miſerantes. Cæterùm, quod ſatis admirari non poſſum, innumerabiles hic Angelos videas, ſingulos tamen, ore, habitu, ſitu, inter ſe longè differentes; vt planè Camaſæus naturam ipſam arte ſuperare, nedum ęmulari videatur; atque ex puriore illo æthere (quod ipſimet cæleſtes Spiritus facere conſueuerunt) pulcherrima hæc corpuſcula eumdem deſumpſiſſe exiſtimes. Horum alium Sardonix, alium Topatium, alium veſtit Iaſpis; hunc Chriſolitus, Smaragdus illum, aut Sapphyrus, illum etiam Carbunculus tegit, atque ornat. I tu quidem, atque admirare in tenui, & anguſta Apiculæ ala depictam, atque eleganter expreſſam re-

mis, carbaſis, rudentibus, gubernaculo, omnibus denique armamentis inſtructam Nauem; dum tamen artem omnem Camaſæi ingenio ſuperatam fateare; quippe qui intra fornicis terminos anguſtiſſimos, auguſtiſsimam Cælitum Aulam referre potuit, Cæleſtemque illam Militiam, numero planè innumerabilem. Sed iam te audio dicentem,

*Horat. Carm. lib.3.Od.3.*

*Deſine peruicax*
*Referre ſermones Deorum, &*
*Magna modis tenuare paruis.*




AD



M
14



M
14

A D

# COMITEM IVLIVM

## BIGAZZINVM.

IN, nouo ineunte anno, Veterum tu mihi auſpicia inſtauras, delato ad me tuarum Auium munere, quæ mihi omnia feliciter, auctore te, ac ſuauiſsimo Fratre tuo Bigazzino, augurantur, non quidem illæ, priſco more, cibum dum paſcunt, ſed dum nos ijs paſcimur. Ecquid autem pro tam effuſa in me humanitate, ac beneficentia reponam? Annuas gratias agam? immò potiùs referam, & remunerabor te quàm ſimillimo munere, quod ſi minùs palato, at animo certè iucundiſsimè ſapiat: eos etenim fructus ad te mitto, quos nullus tibi fundus, inter multos, atque ampliſsimos, quibus abundas, quamuis opti-

mus, vberrimusq́;, ferre poterit, ſed ſola Parnaſſi, amica tibi, tellus, longè omnium feraciſsima, atque ditiſsima, edere conſueuit. Hos ego ex eadem, vt ita dixerim, Arbore, Poëſeos, atque Picturæ, mea manu decerptos, tibi deguſtandos offero. Haud tamen vereor, ne, quamquam incultis delata caniſtris, poma, rudi ſcilicet iſthac, quam addo, narratiuncula, oculis tuis, ac guſtatui minùs placeant; quę ſcimus ex immortalibus plantis enata, ambroſiam, ac nectar omninò ſapere; vt nullum ijs detrimentum accedere poſſit è mea, qualiſcumq́; ea ſit, ſcriptione. Erit prętereà, quod ad te potiſſimùm ſpectat, de B. Paulino, è tua Familia Viro mirę ſanctitatis, Carmen, ingenij, & ſuauitatis plenum, quod Loctus noſter effudit extempore, & illud mox Paſqualinus, Muſices flos, ad harmonicos modos eò libentiùs deduxit, quò is cæleſtibus Paulini ipſius virtutibus, ac laudibus maximè delectatur: noſti enim, quàm ſit Paſqualinus grato, magnoque animo erga omnes, præſertim verò erga Peruſinos Ciues, ex quibus nimirum Vgolinum illum, Muſicæ eximium decus, præſtantiæ ſuæ primum auctorem agnoſcit; cuius beneficij memoriam adeò colendam ſibi duxit, vt Præceptori, optimè de ſe merito, nobile monumentum ponere meditetur.

POST alterius Picturæ in Aedibus Barberinis ex-

pla-

planationem, ad inſignem alium Virum tranſmiſſam, poſtularet fortaſſe Cubiculorum ordo, vt proximos elegantiſſimè depictos fornices, eorumq; Imagines ſingillatim tecum intuerer; Mundi Opificium; Angelicum Sphęrarum regimen; deliciarum omnium Hortos; Protoplaſtorum creationem; eorum ex Paradiſo eiectionem; omnium viuentium Matrem ex multiplici prole laborantem; grata, ingrataque Sacrificia; Fraterno ſanguine madida rura; Arcæ conſtructionem; Aquarum inundationem; Abraham Tres videntem, & Vnum adorantem; cæteraſq; huiuſmodi ex Sacris Codicibus deſumptas hiſtorias. Sed promptus hìc per compendiarias cochleas in inferiores Aedes deſcenſus inuitat, ne dicam fert nos præcipites in proximum Odeum, vt relictis grauioribus hiſce rebus, alia perquiramus, Parnaſſumq;, Camaſæi Meuanatis penicillo, quo Meuania inclyta nunc eſt, æque ac olim Propertij ſtylo, elaboratum contemplemur. Ipſum tamen Montem, nec ſine labore, nec cuilibet hominum licet adire: obijcitur primò accliuis admodum via; atque corripienda nobis eſt

*Rara per occultos quæ ducit ſemita calles:* *Virg. 9. Aeneid.*

non ima ille hæret ſede, ſed

*gemino petit Aethera colle:* *Lucan. lib. 5.*

eiuſque alterum iugum præſtantiores Poëtæ, alterum

Picto-

Pictores celebriores incolunt: ſæpè tamen vterq; cœtus ſibi inuicem artis, atq; ingenij impertiuntur opes. Ipſos autem Hoſpites potiùs inuiſere, quàm, quod Meuanas Pictor exprimere voluerit, indagandum duximus. Ecquis enim Montem molliter primò aſſurgentem, duplici deinde fronte elatum, Thitorea, & Hyampeia, lauroque redimitum inſpiciat, & celebrem Parnaſſum non agnoſcat? Ecquis Iuuenem pulcherrimum, eadem lauro coronatum, plectrumque ſuauiter tractantem, videat, ad ipſum Montis verticem, in theatri formam decorè aſpectabilem, exciſum, atque Apollinem eſſe non intelligat? Ecquis, prætereà, quatuor Virgines illas, eidem aſsidentes, eiuſdem Apollinis Sorores non agnoſcat, ex Ioue, ac Mnemoſyne, hoc eſt, ex intellectu, & memoria prognatas, Melpomenen, Calliopen, Clio, Euterpen? Quæ verò tres, innata quadam libertate licentiores, Apollinis autem noſtri decreto modeſtiores, illum circumſtant, ecquis Thaliam, Erato, Terpſichoren eſſe inficietur, ſecundò ex Ioue, & Antiope, exercitatione ſcilicet, atque æmulatione natas? Neget ne quiſpiam proximas duas Virgines Vraniam eſſe, & Polyhymniam, tertiò ex Ioue, & Theſpia, hoc eſt, Diuinatione progenitas? Quis autem hominum chriſtallinum Fontem intuens, Caſtalias,

ſtalias, oculis auribuſque ſonoras, non percipiat vndas? Erunt fortaſſe parùm notæ tergeminæ illæ Sorores, arctè dormientes: at nobis eas detegunt elapſa è manibus arma, Muſarum è cantu torpentibus, grauia: quamobrem Poëtarum ſtamina immortalitati ſacrata recidere omninò forfices illæ non poſſunt. Ecquid autem ſordidæ ipſæ Lanificæ, atque implacabiles, etiamſi excitarentur à ſomno? profectò, inuictis eorum armis, qui ad proximum Templum properant (horum autem nomina, conditioneſque inferiùs dicam) abſterritæ, furenteſque ipſæmet ſibi propria vitę fila abrumperent. Ad Parnaſſi porrò radices ſurgit ſublime illud Fanum, Apollini dicatum; atque æterna ſtructura, ipſius Montis propè verticibus ęquatur, ductumque in orbem, multiplici columna, Dorico ordine, fulcitur, Signis pulcherrimis vndique ornatum. Quàm vellem hìc nobis daretur facultas contemplandi aurea Simulacra, & adamantinas Columnas, eaſque in primis ex perenni Columnenſis glorię fodina deſumptas: Iconem ſaltem curſim, ac veluti per tranſennam inſpiciamus, Heroinam illam referentem, prudentia, ſapientia, pietate immortalem, quæ feliciſsima Barberinorum prole fœcunda, has ſacras Aedes implet, ditat, exornat: expleret hìc deſiderium facilè noſtrum

Comes

Comes Hieronymus, Frater tuus, Columniade ſua typis olim debita. Sed ad Muſas redeamus; quas non ſemper tanquam imaginarias quaſdam Poeticæ Artis formas mihi ipſe propono; non ſemper nudam illam vim, facultatemq; canendi eas interpretor: ſicuti, Apollinis nomine, non ficti alicuius Numinis ideam agnoſco, ſed Summum Patrem illum, ac Principem omnium Vatum, ter illum omni doctrina, conſummataque ſapientia Maximum, Poeſeos diuinum Heroem mente contemplor: qui primæuo decori, probis, pijſque documentis, Poëſim reſtituit primus: qui Pſalmos, & Cantica, puritate, atque grauitate mirifica, dilucidum reduxit ad carmen: qui Pindaricum, Virgilianum, Horatianum metrum vbertate, vrbanitate ſuperauit: quem poſt homines nemo, Etruſco etiam carmine, mores, virtutes, ſtudia excolentem, candore, ac lepore antecellit: quem, ſacro Viri eruditiſſimi calamo, vtpote Monitorem optimum, ſequendum Virtus ipſa monet mortales, tantoque Ductore aberrari non poſſe docet: quem vnum viuentibus proponit, nemine in terris minorem, (parum dixit) omnibus qui vixerint, & viuunt, maiorem: cui denique Virtus defert palmam, eiuſque prope diuinæ fronti, aurea tergemina corona ornatæ, omnium conſenſu lauream quoq; ſuperimponit: quem ego,

*P. Carol. Scriban. Adoleſcen. prodig.*

ego, cum hìc Apollinem intueor, iucundiſſima recordatione, in genua procumbens, venerabundus humiliter adoro. Tu eiuſdem audi Oraculum, diuino mihi beneficio delatum.



At, quoniam multiplex Apollinis cognomen locum fecit fabulis, vt plures haberentur Apollines, haud temerè factum crediderim, ſi hac ipſa ſub Apollinis imagine exiſtimauerimus alterum latere, cognomento Phileſium; illum, inquam, quem Maximus Apollo Pieridum Cultorem appellat: tantaq; eſt eius cum maieſtate Amabilitas, quæ vel in carmine elucet, vt iure optimo Apollinem eum prędicem Phileſium; in cuius obſequium nos, quaſi Phœbades, peramanti veneratione, rapimur perpetuò. Audi eius Carmen, quod olim in aduerſarijs legi, & raptim memoriæ mandaui; dum Princeps idem in curru, ego in lectica, in qua ipſa aduerſaria inerant, Romam vehebamur. Tu verò, quæ modò audiſti, tecum habeas velim, ne fortè quiſpiam accuſet audaciam meam. Sed heu me miſerum! quò me fugit amabile Carmen? illud diu memoria ſepiui, ac cuſtodiui, & nunc, cùm opus eſt maximè, hærentem me in Senectutis ſalebris ludit: ò fallaces ſpes noſtras! quod tibi ſpontè obtuleram, veluti rem meam reputabam; verùm id alienum cogor agnoſcere; Vt ſæpè nil magis incertum eſt, quàm quod certiſſimum habemus. At at, dum hæc ſcriberem,

*Virgil. Bucol. Eclog. 6.*

*Cynthius aurem*

*Vellit, & admonuit:*

nec

nec mora, redire ſenſim ad me Carmen ſentio, &, vt vnum ex alio, Carmen alterum, germanum ſui, ſecum ducit, Fraterno ſcilicet Numinis alterius purpureo pariter plectro decantatum, dum, ſuccisiuis quibuſdam horis, eius dextera ſceptrum reponit. Quàm verè nunc experior, quod modò ex Oraculo hauſeram, Sæpe iuuare, quæ videntur nocitura! dolebam equidem, Verſus abijſſe penitùs ex memoria: ecce autem ex his malis repentè felicior factus ſum, & hoc ipſum Carmen, Muſarum planè Theſaurum, quem ex ijſdem aduerſarijs ſubtractum, atque intra memoriæ latibula altè repoſtum, propè amiſeram, ſtatim recepi; ac illud euentu didici, Nullum eſſe Senem tam obliuioſum, vt locum, in quo theſaurum ſuum is collocauerit, demum non recordetur. Vtinam ergo vtrumque Carmen, ſuamet pura, & candida veſte contectum repræſentem; ſed adhuc vereor, ne non omnia aurea in ijs ſubſtituam; hoc eſt, ne quid mei, non integrè memor, verborum interſeram: tuum erit id diſcernere; &, ſi quid deeſſe videbitur, meo immemori calamo, non ſuauiſsimis plectris, tribuas. Tu vnius Numinis primò Carmen accipe, quod Phileſii poſteà alterum conſequetur.

Verũ hîc me continere nõ poſſũ, quin tibi referã, quo pacto hoc Carmẽ redierit paulatĩ ĩ mentẽ: inſidet mihi ꝑpetuò cordi, et animo, decꝰ Animãtiũ Apeſ; quæ proĩdè oẽſ ꝑluſtrarũt repẽtè memoriæ latebraſ, earumdẽq. inibi illuxere virtutes: ferijt mentẽ, inter ipſaſ, ſuo acumine Apiſ illa Attica, Xenophon ſcilicet, eiuſq. Sõniũ, qđ et ipſe in ſua narrat Hiſtoria; ex quo nõ ad delibãdoſ flores,




[illegible]eluti ad mel ex ore Leoniſ ſꝑ percẽdũ, ꝑperãſ ad pugnã, animũq. ſibi faciẽſ Fulminiſ lucẽ, nõ ad necẽ, ſed ad vitã, et victoriã, felix omẽ eſt ĩterpretatꝰ. Ô ſi Attica hæc Apiſ nr̃o ſeculo vixiſſet, quo bellorꝫ tormẽta fulgore implẽt, et fragore mõteſ, campoſq. et valleſ, et nihilominꝰ Viri fortes intrepidè pectora ijs opponunt! crederẽ imitaturã fuiſſe magnanimaſ Apeſ, quæ, dũ ĩ aluearibꝰ prouocãtur, nõ face, igniſq. fumo, nõ Cỹbalorꝫ ſonitu, ac ſtrepitu, intrepidæ, perterrẽtur. Sed ad Carmen, ne ſit iterũ perquirendum.

Ah

Ah,iterum haereo,mea iterum fugiente memoria,ac tandem animo ſuccumbere inuitus cogor. Conatus ſum ex ipſo Fonte eadem hau-rire Carmina,ſed fruſtra; Fons idem totus alibi nunc exundat,ſe ſeq obijcit contra veſanè ferocientem in ſacrum Parnaſſum exte




rã vndarꝝ, uĩ: cũ is feliciter ad noſ relabẽſ noſtraſ oraſ opportunè alluerit, ſpero autẽ breui, explebit abundè nr̃am ſitim, et pulcherrimũ Muſiſ pro-pinabit dignè canẽdi exemplũ. Cęterꝝ, ne paratuſ hîc iã carminibꝫ locus inanis offendat ſedulitatem tuam, libuit, ex Apollinis adhuc benefi-cio, breue alterꝝ Carmen interĩ apponere, ĩ quo veluti in chriſtallino rivu-lo, Floreſ ĩrigãte, licet ĩſpicere quã purè, atq vbertim, Fonſ idẽ ſeſe effundat.

sed,

Sed, quæſo, ab hoc nimio ſacri Apollinis fulgore iam hebetes reuocemus oculos, qui dignoſcere valeant Parnaſſum incolentes, Phœbumq; colentes Vates, quos, quò remotiores ab ipſo luminum Moderatore, ac ne longiſſimo quidem interuallo illi accedentes, inſpicimus, eò Phœbea luce pleniores, inſtar ſiderum, intuemur. Iam verò, quoniam, tenebrarum remedio, medemur caligantibus oculis, eos ad tenebras parumper conuertamus.

Vbi ad læuam cernitur

*Aerio exciſum latus ingens rupis in Antrum,*
*Noctes, atque dies patet atri ianua Ditis,*
*Quà potuit manes accerſere Coniugis Orpheus,*
*Threicia fretus cithara, fidibuſque canoris;*

Hìc, quaſi alterum Orpheum, Auerni ad limina tractantem Citharam, videre mihi videor Roſpiglioſium Præſulem, ſummo loco Virum, & à Pontificis Maximi breuibus epiſtolis, noſtriq; Principis, Auenionis Legati, Iudicem à latere maiorem, nobiliſſimum Vatem; qui, dum Muſis interdum vacat, nouo Dramatis genere, vel ad mores componendos, vel ad pietatem excitandam, verſus ad Etruſcos modulos deducit tam ſuauiter, tam caſtè, tam ornatè, vt vel inferis tenebris inuolutos, atque humanarum rerum illecebris captos ad ſupernas auras reducat: Alexius, Aegiſthus, quàm

facilè

facilè Eurydicem quiſque reuocat ſuam ; Iuſtitiæ ſcilicet, atque Aequitatis amorem in omnibus excitat! Is litterarum nimirum peritiſſimus, iamdudum Romanæ Aulæ Orpheum, Calliopes, Sapientiæ ſcilicet, filium ſe oſtendit; vnde dignus ipſius Apollinis, hoc eſt Summi Pontificis adminiſter ſuſpicitur: idcirco adaucta erga ipſius merita in dies Principum noſtrorum beneuolentia, ad grauiora obeunda munera, ad ampliores ſibi parandos honores, proculdubio præfert ſeſe, ipſa ſemper plaudente Aula, donec

*Romulei cantu reſonabunt vndique colles.*

## Eiuſdem Carmen,

# DE VRBANI OCTAVI EFFIGIE.

*Melliferis totum moderatur legibus orbem*
*Hic, quem viuaci lina colore notant;*
*Nil non æthereum, nil non ſublime, ſacrumque*
*Spirat, & immoto geſtat in ore deum.*
*Quippe, ferunt orbi varios dum tempora caſus,*
*Numen adeſt fronte, & pectore* SEMPER IDEM.

Sed quæ prima mihi Muſa primum referet Vatem? Viden' vt omnes vnà Bracciolinum amplexantur,

tur, & pro ſe quæque illum ſibi vendicet; proprium que carmen, heroicum, lyricum, tragicum, oſtentet? vt Vrania præſertim ſuum repetat? quæ hìc ſuperioribus annis, ad Memoriæ Archiuum duxerat Bracciolinum, eique legendas obtulerat vetuſtiſſimas de Clariſſima Barberinorum Gente hiſtorias, ex inclyto fonte Semifontis olim iam ſuppreſſi Etruriæ Oppidi, non minùs feliciter, quàm gloriosè deducta; cuius perennitatem, eundo, maiores ſemper vires, gloriamq; ſibi augentem, quàm longiſsimam, ampliſsimamque futuram eſſe eidem aperuerat. Illa autem, dextera manu grauiſsimum, pro rei materia, ac magnitudine, Carmen ſuſtinens, ob tam ingens beneficium, ſibi vni deberi Bracciolinum exclamare mihi videtur; alteraq; manu, quaſi moræ impatiens, in publicam effundere iam lucem, omnibusq; offerre legendum præclarum alterum Etruſcum Poëma, vnica, eaq; nobiliſsima hiſtoria, multis fabulis optimè compactum, & compaginatum; quo Inuictiſsimi, ac Chriſtianiſsimi Regis, eiuſque fidiſsimi Achatis geſta deſcribuntur; cæleſti potiſsimùm virtute, qua delectari Vraniam par eſt, profligata Hæreſi, ac Perduellium peruicacia. Abundant Poemata argutis dictis, blandis monitis, quæ aures, & corda iucundè feriunt; fluit metrum fœcunditate incredibili;

floret

floret ſuauitate incomparabili ; quibus eadem ſæpiùs, non eadem tamen ratione, ſed admirabili quadam varietate demonſtrantur: tota deniq; poëſis emicat ſplendore verborum, morum decore, figurarum copia. Interim, dum Etruſci rythmi vndique per typos laudati leguntur, tu hìc eius Latino Epigrammate cum plauſu fruere.

## DE LVDOVICI XIII. GALLIARVM REGIS EFFIGIE.

*Perfidia ementita fidem, quæ Rupe latebat,*
*Ceu iam Lernæo fertilis Hydra lacu,*
*Nunc rapta in medium, frontemque exponere iuſſa,*
*Regalem dextra ſupplice pellit Equum;*
*Sed qui terga premit Victor, dat fræna, gradumque*
*Promouet, & tetrum conterit vngue Caput.*
*O' videant Thraces, Sociæque pericula docti*
*In Scythiam properent ſponte redire ſuam.*

Video pariter Muſas certatim omnes in Lælij Guidiccionij amplexus ruere, eiuſque deoſculari manus. At ò quid iſtud, quod video? en Maro, æmulatione, ac zelotypia extimulatur, ob id ſcilicet, quòd Aoni-

Q des

des omnes Aeneidos libros, ad Etruſcum Guidiccionij plectrum, maxima cum iucunditate decantent: nonne idem hiſce carminibus appoſuit proluſiones omni eruditione refertas, quibus ad Cælum extollit Maronem; adeòque vt tu eum videas ab Eliſio, quod ille colebat, euocatum, atque inter ſidera relatum? ita ædepol eſt: ſed ab eadem primaria ſede, quam ſoluta oratione ab ipſo Lælio paratam ſibi Principi Vatum aſpexerat Maro, eiuſdem Auſonijs ligata numeris Aeneidos verſione, poſt epulum quaſi modulata, & dentiſcalpio, vt ita dicam, non calamo concinnata, deturbare ſe videt. Quàm longè, ille inquit, dictis tua facta, ò Læli, ſeſe habent! labore meo partam gloriam iure tuo in te tranſuehis: me miſerum! fama maximum facis, vt tu comparatus modò mihi, longè præſtantiſſimus videaris: prætereà, nonne tuas mellifluas poſtremò editas Eclogas, noſtris omiſsis, dies, noctesque Latinæ etiam Pierides canunt? Sed hìc miſerari decet caſum nimis anxij Vatis; mihi autem gratulari, qui in ijs, licet immeritò, laudari me ſentio: quam quidem gratulationem meis ad eumdem Lælium litteris teſtatam volui; easq; pariter ad te mitto, vt ex ijs facilè intelligas, quo ego proſequor obſequio, atque amore humaniſsimum Virum; cuius ſolidum,

lidum, multiplexque nobilium diſciplinarum ſtudium & vulgata hactenus ſcripta probant, & euulganda in dies luculentiùs probabunt. Tu interim eius Carmen lege, & canendi nobilitatem admirare.

## CARDINALIS ANTONII BARBERINI

### MAGNIFICENTIA

### Scenica ſpectacula exhibet.

*Aula refert caueam, fulgent ſpectacula nocte;*
*Somnia agunt vigiles; nox parit atra diem.*
*Atria proſpectu radiant; ſonat area cantu;*
*Gens altis reſonat muſica porticibus.*
*Dant cœcæ reſponſa fides; It diuite cultu*
*Turba Ducum, magicus quos tenet arte labor.*
*Statque Gigas; ducitque cohors Pygmæa choræas;*
*Armiger aligero Quadrupedante volat.*
*Hic variat formam; hic ſe duplicat alter, & idem;*
*Gemmæ ope per medios clàm mouet illa pedem.*
*Fons cadit; arma tonant; ſaltant Nymphæ. Acta reuulſo*
*Vertitur intereà cardine mira domus.*
*Et quà magnificis rutilarant clauſtra columnis,*
*Omnigeno tellus munere verna viret.*
*Tùm nubes liquido per ſudum argentea fœtu*
*Fulgurat. Hàc Cœli portio magna patet;*

*Hàc ingens pelagi ( vigilantum inſomnia ) tractus;*

*Hàc noua gurgitibus flumina præcipitant.*

*Tàm benè noſter Atlas aurata palatia verſat,*

*Aurea quàm magnus ſydera vertit Atlas.*

*Quis verò hoc aperit tibi fœlix Roma Theatrum?*

*Qui laudum in ſeſe viua Theatra refert.*

Sed quæ noua hæc nuper oborta inter Muſas lętitia? ecquis Vates, quem ipſa Regina Muſarum Calliope ad Phileſium Apollinem deducit? Audin' melos? audin' carmen, quod illi ouantes concinunt Camœnæ?

*Stat. lib. 2. Sylu.*

*fauete, Muſæ,*

*Dum, qui vos geminas tulit per artes*

*Et iunctæ pede vocis, & ſolutæ,*

*Romani colitur chori ſacerdos.*

Is, (Calliope ſubdit) quem, ab ineunte pridem ætate, fronde noua puerum, non quidem, vt iam olim Vatem alterum Vulture in Appulo, palumbes texere, aſt ipſa Regina Volucrum Aquila, quę illi & Patriam, & domeſtici generis claritudinem inſignem dedit. Verùm quid illi frontem ornarì quidem video ſacra lauro, at non pariter myrto, quam lauro implexam induerat Romanæ Fidicen lyrę? ſcilicet, pudicum, atq; integrum Caput, myrteum, & voluptarium metrum recuſat, ac reijcit: en vitæ probitas, atque integritas, non alium planè

*Horat. Carm. lib. 3. Od. 4.*

*Idem ibid.*

planè hunc nobis deſignat, quàm Gaſparem de Simeonibus, quem modò in Aulam Eminentiſſimi Principis noſtri cooptatum vidimus, non ſine omnium plauſu, maximaq; gratulatione; cuius præclariſsimam eloquentiam, & in grauioribus Diſciplinis prȩſtantiam Academiæ, & Lycea, ſumma cum laude, probarunt; cuius Carmen ab Horatiano nemo vel acutiſſimis oculis diſcernat; non ſi Carneadem ipſum Orcus reducat.

## Eiuſdem Ode,

## DE VRBANI VIII. PONT. MAX. EFFIGIE.

*Abſiſte, Pictor quiſquis in arduos*
*Contendis axes, & vegetos polo*
*Ignes refigens, ſpargis audax*
*Luce Hyperionia colores.*

*O' quale debes Caucaſeis iugis*
*Tormentum, & Euris ludibrium Scythis!*
*Quam cor inexpletis perennem*
*Vulturibus meditatur eſcam!*

*An Mentis affles ætheree iubar*
*Mortalis arti? num radijs potens*
*Virtutis è Cælo reductæ*
*Lina modis animare miris?*

*Irata*

*Irata votis ſcilicet abnuit*
*Dux ipſa Pallas : vim ſapientiæ*
*VRBANI inacceſſæ, profuſam*
*Sponte ſua, veneratur Orbis.*
*Terris beati prodiga luminis*
*Mens axe ſummo ſæcula dirigit,*
*Orbiſque ſe fundens per artus,*
*Magnam animat, vegetatque molem.*
*Hinc æqua Legum progenies ſatu*
*Viget perenni, Faſque, Pudor, Fides;*
*Et vindicem Natæ coronant*
*Relligio, Pietas Parentem.*
*Vis imperantis magna ſupercilI,*
*Maior potenti conſilio, ſua*
*Stat mole ſurgens; nec reclinat*
*Grande humeros, animumue pondus.*
*Leniſque amari, quà ferat æquitas;*
*Fortis timeri, quà vocet imperI*
*Verenda maieſtas, & armis*
*Exacuat graue fulta robur.*
*Nos, haud caduca ſignat imagine*
*Dum corda Princeps, vni, hilares, pijs*
*Hæremus, æuumque apprecamur*
*Euboicum, Pyliumque, votis.*

In ea

In ea autem tam ingenti Muſarum lætitia, quis ille, qui gratulabundus feſtinatò contendit ad Muſas? Nemo ſanè, niſi Loctus; neminem equidem tam celeriter illæ excipiunt præter ipſum Loctum, ad cuius nutum, atque imperium expeditę illicò accurrunt omnes. Tam promptum earum erga ipſum obſequium, quibus verbis enarrem? quo dicendi modo prætexam narrationem meam?

*Carmina ſi Loctus mille extemplò euomit, illæ*
*Lætitia ingentes iactant ad ſidera voces;*
*Si verſus Loctus melicos extempore ludit,*
*In numerum Muſæ ſaltant pede, carmine, geſtu;*
*Si grauiter canit ille illuſtria facta Virorum,*
*Intentæ ora tenent, arrectiſque auribus aſtant.*

Sed hei mihi! quod ſoluta, pedeſtrique oratione aggredi hærebam, pedibus, numeriſque aſtricta tentaui! haud mihi tamen hìc ſuccenſendum; vbi Loctus in cantum rapitur, vbi ille ſpirat, Muſis redolent auræ, quas ſi quis haurit, verſus illicò reddit. Verùm nequeo quin adhuc doleam, aliàs ob id verbis malè mulctatus à Muſis: tu meum caſum ſi cupis audire, leges noſtras ad Loctum litteras, quas pariter ad te mitto; & hos intereà verſus ipſius cum voluptate, & commendatione habe.

Eius

## Eius Carmen

## DE BEATO PAVLINO PERVSINO,

Ordinis Silueſtrinorum, ex Comitibus
Bigazzinis; viſa eius effigie.

*Iam ſileat Peruſina fames, depaſtaque Ciues*
*Ieiunos macies. pullulat vbere*
*Copia fundo,*
*Manat amabili*
*Gratia Cælo:*
*Paulinus ſegeti concilians polum*
*Cæcus munifico currit agros Pede.*
*Iam ſileat Peruſina fames;*
*Omnia ſolus*
*Damna rependit.*

*Iam taceat thraſumena lues, fluctuſque cruore*
*Creſcentes latio. finibus excubat*
*Vltor Amicus,*
*Militat Aethere*
*Fidus Athleta:*
*Paulinus Patriæ ductor adeſt ſuæ*
*Ignota Calamum diſcutiens manu;*
*Iam taceat thraſumena lues;*
*Omnia ſolus*
*Prælia vincit.*

Eiuſdem

# Eiuſdem Carmen,

AD EMINENTISSIMVM PRINCIPEM

## ANTONIVM CARDINALEM

S. HONVPHRII.

*Ex humili tecto dominam translatus in aulam,*
*Quæ docuit pietas fræna, vereris adhuc.*
*Argento non Arca grauis, non ſcrinia gemmis,*
*Menſa breuis, paries nudus, amictus inops.*
*Puluercam Tunicam latio ſub murice cingis:*
*Igneus in cocco ſcis tamen eſſe cinis.*

Quod autem ſequitur Carmen, hoc mea me cumulauit incuria: nequeas tenere riſum, dum factum audies: Scipio Bataglinius, Vir magnæ virtutis, & inter Principis noſtri Familiares apprimè omnibus carus, impoſuerat mihi onus, quàm citiſſimè conſulendi, Romana in Curia, Themidis Peruſina Oracula, Vermigliolium, & Eugenium, in iudiciali quadam Cauſa, de acceptis Ariminenſium Iuriſconſultorum reſponſis, quibus Conſultiorum auctoritate firmatis, Iudici ab ijs recedere non liceret. Id verò ſtrenuè cum peregiſſem, vltrò adire Ferentillum volui, Iuriſ-

R peri-

peritiſsimum, & Principis noſtri familiarem, qui Magnæ Domus cauſas egregiè noſcit, & tuetur. Huic obſignatum ſuper abacum relinquo indicem Iurium Libellum, iuſſus ab eodem craſtina die repoſcere. redeo, atque, ob ingentem clientium concurſum, ab Anagnoſte pariter obſignatum accipio; quem mox tabellarijs daturus ad Battaglinium, fortè fortuna complicatum faſciculum explico; obſtupeo, & delatum à me imprudenter, loco reſponſorum, Carmen aſpicio, ideòque ab amœniſsimo, & conſultiſsimo hominis ingenio carmen pro carmine redditum; quo me ille inconſultum, atque incurioſum optatiſsimè luſerat: rubere primò, mox admirari, aſtræium Parnaſſide lauro vinctum caput in Parnaſſum transferre forum, ſubſellia, roſtra. Hinc demum audacior factus, Iuris ſapientiſsimos, eiuſdem Principis à Cauſis, Præſules Mancinos, Donatos, ad aſtum vtens incuria, Muſarum in Curiam vocare, diem dicere, & carmine ad carmina prouocare mihi propono: id ſi feliciter euenerit, aliàs tecum communicabo. Nunc Ferentilli Verſus accipe.

Eiuſdem

# Eiuſdem Carmen .

*Dum legum reſponſa petis , te charta feſellit ,*
*Erroris quam tu neſcius attuleras ,*
*Nam , dum quæ dederas ſinuoſa volumina chartas*
*Explico , deſcriptum nil niſi carmen habent.*
*Quid me ſollicitas numeris ? quid carmina tradis ?*
*Forſitan ingenio me tibi rere parem ?*
*Tu potis es ſuperos oculis haurire nitores ,*
*Tu potis es dubio pandere vela mari .*
*Me tenues prohibent ſublimia quærere vires ,*
*Nec poſſum Solis noctua ferre iubar .*
*Et ratibus freta magna meis tentare negatum eſt ,*
*Ne tumido abreptas æquore Tethis agat .*
*Quid me ſollicitas ergo tot adire pericla ,*
*Ingenij quem non aura benigna vehit ?*
*Perpetuo Muſæ , & lites certamine acerba*
*Exercent odia , & diſsita regna tenent .*
*Vrbanum celebrare ſuo qui carmine tentat ,*
*Aequoreas etiam dinumerabit aquas .*
*Solus atlantæis ceruicibus æthera fulcit ,*
*Solus habet Cæli ianitor axis opes .*
*Verte oculos , cerne vt gemini duo lumina Soles*
*Aeternum faciant , & ſine nube diem ;*

*Hinc me Franciſcus rapit, hinc Antonius, alter*
*Ardua quem Patrui pondera ferre iuuat,*
*Alterius virtus eſt, aurea ſæcla referre,*
*Non opus eſt verbis, notius orbe nihil:*
*Et qui Franciſci meruit ſub paupere cultu*
*Non mea, docte Comes, ſed tua dicta petit:*
*Quis maieſtatem fando deprædicet Vrbis*
*Præfecti! hoc mea ſub pondere Muſa labat:*
*Et quis creſcentes ad grandia munera Natos*
*Prædicet? hoc etiam Muſa recuſat opus.*

Cui libuit aliud adiungere Gabrielis Naudæi, Pariſini, Viri in primis Eruditi; qui de re Militari Opus conſcripſit luculentum; illuſtris quidem, ac ſolers antiquitatis indagator, ſed eo nihil Muſis antiquius. Hunc Eminentiſſimus olim Cardinalis à Balneo ex Gallia Romam ſecum duxit, atque honoribus, & beneficijs cumulauit in paucis: Huic enim non tantùm, vt cæteris omnibus Familiaribus, (ò præclarum in Aulicos humanitatis, & liberalitatis exemplum!) diariam ſportulam ſupremis tabulis perpetuam delegauit; ſed eumdem, veluti ſui grati animi erga Principem noſtrum laudatum teſtem, eidem Principi ſummoperè commendatum, &, vt ita dicam, legatum voluit.

Eiuſ-

# Eiuſdem Carmen.

*Quæ noua dedaleæ ſurgunt molimina dextræ,*
*Mons vbi quadrifidi nomina fontis habet!*
*Niliacas ſuperant moles, vincuntque Pelaſgas,*
*Et fuit in veteri pulchrius Vrbe nihil.*
*Tecta ſed immenſis quòd ſurgant nixa columnis;*
*Atria quòd ſecto marmore culta nitent;*
*Aurea quòd Cœlum referant laquearia, picta*
*Quòd prope diuina ſint tabulata manu;*
*Ordine quòd miro diſcreta cubilia centum,*
*Auro interluſo ſerica texta tegant;*
*Denique quòd ſtatuis Domus hæc ſit plena vetuſtis,*
*Et varias monſtret quas habet Orbis opes;*
*Haud hæc admiror Regum Monumenta, capit me*
*Innumeris diues Bibliotheca libris:*
*Et magis ora Virùm capiunt me picta, libellos*
*Qui ſtudio nobis tot peperere ſuo.*
*Nam patet hinc Diuùm quæ ſit ſapientia Fratrum,*
*Et Barberinas quis gerat hortus Apes.*

Nunc verò in Nobiliſſimum Iuuenem Comitem Petrum Bonarellium oculos conuertamus, qui, Patris, ac Patrui commendatitijs, vt ita dixerim, litteris, ſeſe in amicitiam Muſarum adiunxit, atque ò quàm facilè

earumdem ſibi amorem conciliauit! Comitis enim Guidonis Vbaldi, Patrui, ratiocinationibus edoctæ, ſingulas eodem tempore, eodemque planè amore, ſingulos, pluresque amatores amare poſſe, & pariter ab ijs redamari; omnes vnà ſimul, parilique amore Bonarellium amare cœperunt, à quo nimirum tuta fide redamari ſe intelligunt: quamobrem percurrunt libenter quæ ille quotidie carmina facit: cantant ſæpiſſimè eius Italica Dramata, Proſerpinæ raptum, & inclyti Roboris cum Regia gloria Nuptias: admirantur Poëſeos ſemina, altè in ipſius ſata ingenio: ſpondent & illi tempeſtiuas laudum meſſes facile metrum, ſed tamen cultum; dulce, ſed non molle; armonico concentui aptiſſimum, dignum non modò Theatro, ſed cui à Patrui, & Patris nomine lux impertiatur. At illum hìc audi.

## Eiuſdem Carmen,

### IN IMAGINEM GVIDI VBALDI DVCIS VRBINATIS, EXPRESSAM MANV TITIANI.

*Solus Alexandrum cedro depingat Apelles;*
*Vbaldum ſolus tu Titiane Ducem.*
*Quid nomen memoro? tua te pictura reuelat.*
*Quæ te non loquitur, non tua dextra facit.*

*Dex-*

*Dextra potens, qua poſt cineres, Vbalde, perennas,*

*O' Vbalde meis vtile nomen auis.*

*Ipſe tuam noſtro voluiſti in ſtemmate Quercum*

*Viuere, & vt nobis aurea ſæcla forent,*

*Mella dabant Quercus. hæc te viuente fuerunt;*

*Hæc ſint, nam Pictor viuere donat adhuc.*

*Viuis adhuc, neue inter Apes taciturne moraris;*

*In Quercu ſuades mellificare mea.*

Dein mecum oculos conuerte in proximum præſtantiſſimum Iuuenem Carolum Euſtachium, cuius olim Carmen (cui Parthenopes nomen indidit) ſuauitate plenum, vt primùm Melpomenes aures tetigit, ſtatim illa exclamauit, En

*tergeminum Sicula de Virgine Carmen:* Stat. Sylu. lib.2.

præcludite, Sorores, aures, aut certè Thracius Orpheus Biſtoniam citharam ſumat, &, maiora canens, ab huius cantu nos liberet. Riſere ad hæc reliquæ Pierides, quæ inclytæ Parthenopes Vrbis nouerant dignum Filium, liberali ingenio præditum, liberalibus artibus imbutum; omneſque deinde, Melpomene in primis, perditè adamarunt. Tu ne time, perlege.

Eius

## Eius Carmen,

# IN EFFIGIEM PRINCIPIS BARBERINI,

VRBIS PRÆFECTI.

Laudatur eius humanitas ergà alloquentes.

*Viſa loqui placet effigies; ſed ſi ora loquentis*
*Hoſpes adis, manat melleus inde liquor.*
*Re decus eſt generis qui nobilis, eſt potis idem*
*Alloquio generis nobilitare decus.*
*Vnde ea vis? Sacros medius dulcedine Fratres*
*Inter, ab alterutro diues, vtrumque refert.*
*Mella hinc inde trahens, condit ſub pectore; Quicquid*
*Pectore mox promit, nonniſi mella fluit.*
*Natiuum vtrumque eſt, haurire, & fundere; Apiſque*
*Lucrum ingens geminas fert media inter Apes.*

At, quem video impuberem adhuc, ac propè lactentem Vatem in ſinu Muſarum, earumque delicium, atque ocellum? Nonne iſte ad Eridani Ripam ſplendidis natalibus nuper ortus, inter arma, & bellica tormenta, quibus, pro Sabaudiæ Duce, Parens præeſt inuictus, ad inconcuſſam Tiberis Ripam nuperrimè appulit, atque è manibus incerti Martis ereptus eſt? Moſtri ſimile, quòd tenera adhuc ætate Puer Parnaſſi iuga aſpe-

aſperiora ſuperauerit, atque ad Muſarum adyta facili negotio ſibi aditum aperire potuerit: agnoſco tamen perpetuam in omnibus rebus ſolertiam Patrui, Abbatis Ripæ, noſtri Principis à ſecretis nuncijs, ac ſupplicibus Libellis; quo duce, ac monitore, optimæ indolis Adoleſcentulus ad eam virtutem peruenit. Perge, macte animi Puer, ad ſacra munera educari, & Muſas cole, tibique necte laureas immortales.

## Eiuſdem Carmen,

### DE S. IOANNE EVANGELISTA FVGIENTE, MANV CORRIGII EXPRESSO.

*Innocuo quoties nidum furtiua Palumbo*
*Dextra rapit; toto neſcius axe volat:*
*Cur igitur profugum tabulis mirare Ioannem?*
*Perfugium noti perdidit ille ſinus.*

### DE S. SEBASTIANO,

### Vnicum telum manu ſuſtinente, eiuſdem Corrigij manu depicto.

*Qui fuerat verax iaculis coeuntibus hiſtrix,*
*Cur vna tantum cuſpide lætus ouat?*
*Vnica dat Pictor; nam cætera ſpicula torquet,*
*Vt pereant iaculis tempora victa ſuis.*

S Nec

Nec deſunt alij in Magna Barberina Domo, qui ſuis carminibus Parnaſſi Aedes exornarunt; ſed nihil dum eorum è manibus extorquere adhuc potui, idcirco vel inuitus præterij pręclariſſima Ingenia, Allatios, Holſtenios, Vbaldinos, Albanos, Troilos, Lanfrancos, Moronos, Sibonios, alios Gręcas, alios Latinas, alios Etruſcas colentes Camænas; inſuper & Conſtantium Riccium, non minùs Aſtreæ, quàm Lyceo deditum, qui adiunctus nuperrimè fuit Corinthio Benincampio, Principis Præfecti à Secretis, probo Viro, atque erudito. At ſubit modò animum cogitatio, Federicum Troilum, Pontificis nunc adminiſtrum ab Epiſtolis, haud equidem prætermittendum, eius enim Carmen apud me eſt, inde vſque à Bononienſi Legatione; in qua ille Principi noſtro, de rebus ad Legationem ſpectantibus, à ſecretis erat: quem quidem vt primùm ego virtute, ac doctrina, quas ſecum ortus, educatio, ſtudiumque ferunt, dignè ornatum animaduertiſſem, eius familiaritatem, dum ibidem Principi D. Carolo Barberino inhęrebam, propenſo animo exoptaui; quam poſtquam ille mihi obtulit peramanter, varias legi eius elegantiſsimas Italicas lucubrationes, & pręſertim Dialogos duos, alterum de gloria, quam poſt obitum conſequimur, perquirenda; alterum, de Politico ab Epiſtolis Adminiſtro; quos qui legat,

gat, meritis eas laudibus vltrò extollat, ob rerum inuentionem, ordinem, narrationem: non tamen nouo ſcribendi genere vtitur ille, noſtris ſcilicet temporibus excogitato; non enim inciſis membris, & commatis, non perpetuis metaphoris incluſa, per ſententiarum gradus, grauioribus verbis onuſta, fœtuq; plena, incedit oratio; ſed ea, ornatus limitibus contenta, eloquentiæ floribus, ſine pompa, & apparatu, occulto quodam artificio, compta, ſententijſque, atque exemplis opportunè munita, candidè, & purè æquabiliter fluit; ad cuius quaſi fluminis oras, partim veluti ſpontè, partim tanquam ex feracibus bulbis venuſtè erumpunt, ſicuti flores, Etruſca carmina, miro eruditionis, ſuauique odore conſperſa. At hoc eius nunc habe Latinum Epigramma.

SAPIENTIA, ET PIETAS

CARDINALIS FRANC. BARBERINI.

*Quæ vili eſt olim Sapientia viſa lacerna,*
*Nunc, Franciſce, tuo murice culta nitet.*
*Incipit & Pietas iam pauperis incola tecti*
*Illuſtres tecum nunc habitare lares.*

*Vtraque diuinæ pulcherrima Filia mentis,*

*Aetheriæ & mentis vtraque digna Viro.*

*Tale tuas igitur carmen ſcribatur in ædes,*

*Hæc Sophia, & Pietas Regia tecta colit.*

Sed heus tu? Optatis meis ſors tandem arriſit. Inſignis genere, ac virtute Vir, Eques Caſsianus Puteus, Principi Cardinali Franciſco Barberino à poculis, Muſis totus, ac ſtudijs ſacratus, qui ſæpè Amicorum deſiderijs vltrò occurrit, modò ad me detulit Leonis Allatij, eiuſdem Principis Familiaris, optatum diu Phocidis ipſius natiuum Carmen: & ſanè videbatur mihi, fabuloſum quodammodò exiſtimari poſſe noſtrum Parnaſſum, tanquam è Græcia accerſitum, & longa per æquora huc aduectum, niſi quis, non equidem aduentitius, ſed genuinus Incola fateretur, hunc eumdem eſſe profugum Montem, qui has ſolùm in Aedes ſponte commigrauerit, ſuaſque tandem in ijs radices fixerit. Ecquis autem teſtis locupletior, inter natiuos Incolas, id teſtari grauiùs poteſt, quàm, eorum omnium princeps, Allatius? qui ſeptem Gręciæ Vrbibus, ſe inuicem in ius raptantibus, Magno pro Homero, conteſtatæ liti ſuccumbentibus cæteris, diuinum Homerum Chio, quæ & ipſi Patria eſt, oculatior vendicauerit, ſibique Homeri Ciuis omnes laudes. Idcirco Allatio

ma-

maxima Parnaſſi pars, iure ſuo, atque hæreditario nomine, iamdiu adiudicata eſt; multa cuius præclara litterarum monumenta, quà in lucem edita, quà mox edenda, magna non Grecæ tantùm, ſed Latinæ etiam ſcriptionis, & elegantiæ laude, veteri in poſſeſſione, tutè ac tranquillè permanent, æternùmque permanebunt.

## Eiuſdem Carmen,

### DE CARDINALI S. ONVPHRII

## F. ANTONIO BARBERINO.

Πενιχρὸν ἔσκεν ἔθος, ὡς ὁρᾷς, Φίλε,  
Ἁπλοῦν, ὁποῖον ζῶσιν ἀρτύει φορεῖν,  
Ἤτ' ἐν φυτοῖς παίζουσα, ἤτ' ἐν κωδίοις  
Μήλων ἔρια νήθουσα τεχνουργὸς Φύσις.  
Χροιῶν γὰρ ἄνθη, καὶ στολῶν παρατροπαί,  
Χρυσός τε, λαμπρά τ' ἄλλα, καὶ τερασίων  
Μηδῶν ἄωτα, τοῖσιν ὄχλος ἥδεται  
Βροτῶν ὁ 'πιβρόντητος ᾤκισαι μακράν.  
Σὺ δ' ὃς τὸ πρᾶγμα τοῦτο, πρὶν μαθεῖν πολὺ,  
Κατηγορῶν, κούφοις τε δεννάζων λόγοις,  
Νόσσον ἔργον ἀτρεκες, ὅστις ὢν κυρεῖς.  
Cὺ μεμπτὰ μέντοι ταῦτα, οὐδ' ὑπόψια,  
Εἰ κ' εὐτελῆ δοκοῦσι, καὶ δόξης ἄνευ.

Τιμῶ

Τιμὴν γὰρ οὐ φθίνουσαν ἀφθόνως φέρει,
Τρίλλιστον ἀξίωμα, καὶ κλέος πολὺ
Κύδεσσι, καὶ γέρασσιν ἐξεσεμμένα.
Μόνον κάλυμμα σεῦε, καὶ τὰ 'κτὸς πάρες,
Κτεάνων ἄκρον κεύθοντα, καὶ σωρὸν καλῶν,
Τὰ δ' ἔνδον ἔνθου φρεσσὶ ζαῖς. ὡς δ' ἂν μάθῃς
Μᾶλλον, λέγοντος ἀντάκουσον, καὶ ποτὲ
Ρήσεσσι πείθου. ἔστι μὲν θεῖον σέβας
Τῷ δ' ἀνδρὶ γ' ἐν κόλποισι συντεθραμμένον
Ἐκ παιδὸς, εἶτα δ' αὖ χρόνῳ μείζων γεγὼς,
Εὐανθέμῳ λάχνῃ τε περιστέψας γένυν,
Γηρὰς προσῆυξε, καὶ διαζευχθεὶς χθονὸς.
Μεταρσίοις φρένεσσιν ἐνναίει πόλον.
Ἐνθένδ' ἀρύσσας παρμονωτάτους δόσεις
Ἐλευθέρᾳ πάντεσσι προσνέμει χερὶ.
Τὸ δ' οὐ θαπτὸν. καὶ γὰρ ἔξαρχον μέγαν
Ἔργου, πολὺν τὰ θεῖα Φράγγισκον κομᾷ,
Ὧι κηλὶς οὐκ ἦν οὔτις οὐδαμῶς κακῶν
Ξυνοίκος, ἀλλ' ἄφθαρτος, εἰσέτι πνέων,
Κἀπὶ χθονὸς βλέπων τε, μοχθηρὸν βίον
Εἵλισσε, Θεῷ κήδιστον ᾠκειωμένος.
Τῷ καὶ Θεοῦ Σωτῆρος ὠτειλαὶ ξένως
Αὐτοῦ μέλεσσ' ἔπαχθεν ὡς ἐπαξίως.
Ἆρ' ἔστι μεῖζον χρῆμα παρ βροτοῖς φανέν;

Ἆρ' ἔσθ'

Ἆρ' ἔσθ' ὁδηγὸν τοῦδε φέρτερον κιχεῖν,
Ὧν δρᾷ τις ἔργων; κεῖνον γ' ἐμπνέει δ' ὅμως,
Κείνῳ θ' ὑποδρᾷ, καὶ τὰ πάντα πείθεται.
Καὶ ταῦτα μέντοι πρὸς Θεόν. τὰ δ' ἐς Βροτοὺς,
Ἃ κεῖνος ἐξέδωκε τοῖς κεχρημένοις,
Εὔθυμος ἐναίσιμα, τίς ἂν ἐξείποι σαφῶς;
Ἐπεὶ δ' ἐκεῖνος κρύβδα, τὰ δράσας ἔχει,
Μεμᾶ κρυβῆναι, σῖγα κἀυτὸς προσμένω.
Ἀλλ' οὐ στέγω τὰ 'πίδηλα, ὡς μαθεῖν ἔχῃς.
Ὅσσοις γὰρ σοῖσι πάντοθεν διαδραμὼν,
Ῥώμη γὰρ τ' ἐν μάλιστα, καὶ ταύτης πέριξ,
Σκέπτου δόμους βεβῶτας ἀρρήκτοις βάθροις,
Οὓς αὐτὸς ἦρεν οὐρανοδρόμοις στέγαις,
Στολμοῖς ἐυηφενέσσι, καὶ σκευαῖς ξέναις
Παρεμφερεῖς Ἄναξι, Κοιράνοις τε γῆς.
Σκόπει νεῶν τέραμνα, κλεῖθρα παρθένων,
Σηκοὺς νέων, σεμνεῖα, πανδοχεῖς νομὰς,
Ἄπειρά τ' ἄλλα κάρτ' ὀφέλσιμα βροτοῖς.
Κἀκεῖνα πρὸς τοῖσδεσσιν ἂν θυμὸν φρόνει,
Ἦθος προσηνὲς, ὄψιν αἰδοίαν, χέρας
Πᾶσιν διδούσας πάντα, νημερτῆ λόγον,
Μούσαισι καὶ Χάρισσιν ἀνθηρὸν στόμα,
Στέρνον βέβαιον, εὐσταλεῖς βραχίονας,
Βάδισμα σεμνὸν, ἔμμονον στάσιν, φρείδας

Πυκ-

Πυκνὰς, προβολὰς παιήονας, μέγαν νόον.

Καὶ ταῦτα μὲν πάνδημος εὐφημεῖ φάτις.

Σύ δ᾽ ἀφθόνητον Μῶμε τόν δ᾽ ὁρῶν, φθίῃ,

Ὀξύν τ᾽ ὀδόντ᾽ ἐς ἄλλον ἐμπρίεις βαλὼν.

Verùm, quæ mea eſt ſors, vt tot beneficia mihi in vnum concludat diem? En Iuuenis prȩſtantiſſimus Proſper Meocius, Senenſis Patricius, eiuſdem Principis menſæ Structor, parauit mihi, ſuauitate pleniſſimum, inexpectatum edulium, elegantiſsimum ſcilicet Holſtenij Carmen: id verò, vt primùm ille me videt, illicò mihi recitat, pulchroque charactere depictum perhumaniter largitur: at, dum ego illi gratias agere parumper moror, Heus tu, inquit, numquid fortaſsis te fugit huius Viri præſtantia, vt non ſit tibi omni ſtudio huiuſmodi Carmen perquirendum? imò firmiter, inquam, mea inſidet in memoria: nec plura, quæſo: Aulicorum noſtrorum Carmina ad amiciſsimum mihi Caput, & primarium Virum, Peruſiam mitto; cui haud opus eſt Holſtenij, carmine, notitiam ingerere, qui non ſolùm fama, vt omnes alij, ſed & facie cognitus Peruſij eſt: ab eodem enim Amico accepi non ſemel, Peruſinum Gymnaſium numquam viſum, tam iucundum, & lætum, tam totius Ciuitatis frequentia ornatum, quàm ea die, qua Vir doctiſsimus

coram

coram ſapientiſsimo noſtro Senatu ſe contulit ad Iuriſprudentiæ lauream capiendam: admirati ſanè ſunt Auguſti Patres multiplici doctrinarum corona redimitum Caput; adeòque viſa fuit viuido colore frondeſcere laurus, vt ipſa Aſtræa, pro iuſtitiæ integritate, non auderet totam illius ſibi frontem vendicare. Inter tantam omnium lætitiam, veluti omnes Germani eſſent, & Holſtenij fratres germani, cæpere noſtri Ciues eum enixè rogare, vt ipſe ab Eminentiſsimo Principe, cui cariſsimum agnouerant, impetraret quaſdam, in Germanicæ Nationis commodum, prærogatiuas, quibus illecta inclyta gens illa ad Peruſinum libentiùs conflueret Gymnaſium; quas adhuc à benignitate Principis, ipſo implorante, & intercedente, auidè expectamus. His dictis, Carmen hilariter accipio; quod ad te mitto.

## Eiuſdem Carmen,

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM

## FRANCISCVM BARBERINVM.

De M. Aurelij Antonini Imp. & Philoſophi libris.

*Caesaris en Marci terſos tibi pumice libros,*
*Se quibus officij commonet ipſe ſui.*

*Fortius hiſce nihil Medorum picta trophæis*
*Porticus, aut melius Martia Roma dedit.*
*Hic inſtar cognoſce tui: ſapiente beatam*
*Imperio Romam, Marcus vt ante, regis.*
*Nimirum ducibus, velut is, Ratione Deoque*
*Cuncta gerens, pariter te populoſque beas.*

Hæc dicta volui de litteraria ſuppellectile, qua longè præſtantiùs exornantur regales Aulæ, quàm aulæis quibuſuis pretioſiſſimis, argento, & auro contextis: iſthæc nimirum ornamenta adeuntium dumtaxat oculos trahunt; hæc autem litterarum, atque virtutum viua ſimulacra Viri litteratiſſimi vbique ſuſpiciunt: illa Principum obtutus, hæc animos delectant, & recreant: fide viua potiùs, quàm depicto Achate; animata prudentia magis, quàm depicto Catone; virtutis robore longè meliùs, quàm Herculis, aliorumque imaginibus, ornatur, atque adeò fulcitur Barberina Domus.

Huius rei teſtes in Aula ſunt in primis Vincentius Martinotius, & Antonius Benedellius; quorum alter ſummam noſtri Principis Domus præfecturam gerit; alter negotiorum, Epiſtolarumque molem ſubſtentat. Ille nobilitate comitatem auget, comitate grauitatem exornat; dexteritate admirabili, tacitè Oecono-

cono-

conomiam Principis tuendo, eiuſdem liberalitatem, nutrit, magnificentiam colit, ſplendorem ſouet; prudentia ſingulari, vnanimem Familiam inſtruendo, monendo, eius erga Principem ſtudium, obſequiumque regit; itemque Principis beneuolentiam Familiæ conciliat: huiuſmodi optimis inſtitutis inſtructa Domo, tanquam Cæli machina, ſuis librata ponderibus, orbes aulici armonicè, vel non viſo, qui moueat, per ſe agere videri poſſent; tam placidè, tam ſuauiter cuncta geruntur. Alter verò Principi ipſi à Secretis, tam accommodè, eiuſdem, ſcribens, induit perſonam, vt, pro dignitate humaniter, pro humanitate decenter, vnicuique, prout conditio poſtulat, vtens cultu ſine oſtentatione, det & reddat pro Principe litteras; cordatè, & cautè negotia conſcribat, ac Principem faciat clarè, & ſuauiter prohibentem, iubentemque. Sed hæc licèt cum paucis communia ille habeat, & digna ſint haud vulgari commendatione; illud, quod in Benedellio admiramur magis magiſq;, vnum eſt, rerum, quæ ſibi demandantur, firmiſſima cuſtodia, animi tamen ſeruato candore apud omnes, re, ac dictis nitidiſſimo. Per has ſemitas duxit Benedellius, ſedulo ſtudio, ac diligentia Iuuenem, Marinum Natum, Anagnoſtem, iam nunc, vt ſecundario loco ſit Principis ab Epiſtolis, nouo

inſignitum honore; cuius indoles, & ingenium cum recta educatione conſentiunt. Tertium addo, Cubiculariorum Decurionem, Equitem Iulium Cæſarem Panicum, qui ſumma cum prudentia, & laude, adeuntes Principem, vel beneuolentia, vel humanitate, vel vltronea compellatione, vultusq; ſerenitate, excipit gratus omnes; &, ſi aliquo graui interpoſito negotio, Principis præſentia denegetur interdum, non excutit ille à ſe adeò culpam, vt Principem oneret; tum benignè aliàs operam ſuam, & interceſſionem poſtulantibus modeſtè exhibens, nec inferiores, nec quidem infimos negligit: has autem curas diligentiſſimè vel implet ipſe, vel ſubditis ſibi ſine imperio imperat; maximaq; in multiplicitate rerum, quandoque ſi opus eſt, grauiora eidem Principi in memoriam reuocat. Hoc idem pręſtant, qui, abſente Panico, gerunt vicem, patriciæ gentis Cubicularij, Marcus Antonius Citarellius, Sebaſtianus Antinorus, Dominicus Cinquinus, Thomas Valemannus, & Comes Hieronymus Gabrielius; qui in Belgio olim, & Germania, militaria non ſolùm tyrocinia poſuit, ſed adeptam bellicam virtutem non ſemel exercuit; & modò, retenta Principis noſtri Familiaritate, nouis ſtipendijs auctus, militarem pro Eccleſia gerit prouinciam. Sed longiùs à Parnaſſo

abeam

abeam ſi Familiares noſtri Principes ſingulos, virtute aliqua inſignitos, hìc referre voluerim. Verùm enimverò te præterire non poſſum, humaniſſime Silui Antonine, qui tam bellè munus tuum imples, vt, tamquam à Iuriſperito, à te ius quiſque ſuum æqua lance ſibi tribui exoptet; quo autem nomine tuo in munere te compellem, cum ſint

*tibi nomina mille*

*Mille iuuandi artes?*

non ancipiti vtar voce, vt, cùm dixero, Carpe, ambiguum ſit iubeam te, an vocem: parùmque vox eadem mihi grata eſt, qua per delicias vſus eſt Neronis Familiaris ille, Neronianarum voluptatum Arbiter: nec te cum eodem Sciſſorem dicam, aut ſcindendi obſonij Magiſtrum morali cum Philoſopho; non Chironomonta, itemq; Carptorem Satyrico cum Poeta: ſed cum Apuleio potiùs, in Aureo Aſello, Diribitorem; vox enim militaris quoque eſt; Diribitores namq; ij pariter vocantur, qui Militibus ſtipendia ſingulatim ſoluunt; &, quod ad rem noſtram facit magis, dum magni Principes epulantur, militaris tuba perſonat, vt mos eſt apud noſtrum: quamobrem, cùm tu nobili à Structore peritè inſtructa obſonia, ad clangorem tubarum nobiliùs, quàm ad ſymphoniam, ad quam

*Petron. Arb. Satyric.*
*Id. ibid.*
*Senec. de Vit. beat. cap. 17.*
*Iuuenal. Satyr. 5.*
*Apulei. Metamor. lib. 2.*

*Petron. Satyric.* ad quam olim ſcindebatur, diſcumbentibus, volanti cultello aptè geſticulatus, præminiſtras; Phaſidis auem Capumq; pinguem, ſiue Leporem, ſine diſcrimine, vel Gallinam tanta cum virtute in fruſta ſcindis, vt Antoninus Caracalla ferociſſimus ille, cum Apris, & Leonibus pugnans, &, victor, Ferarum capita abſcindens, mihi videaris. Sed redeamus in viam: quemadmodum noſtrum Antoninum, ſuo in munere obeundo, nemo eſt, qui antecedat; ita ingenij amœnitate, morum probitate, fide firma, nemini ille concedit: cuius quidem in Aula noſtra omnibus iucundiſſimi, ob eius abſentiam, quam ſuperioribus annis per menſes aliquot ægrè tulimus omnes, dum Comes Hieronymus Martinotius in Galliam miſsus, ibi moraretur, cui datus fuerat Comes ipſe Antoninus; rogatus Marozzolius, vt noſtrum deſiderium leniret, ad viuum Antonini expreſsit effigiem, eamque Principi noſtro detulit; & quidem, dum Antoninus abfuit, gratiſsima fuit; poſt verò reditum, dum eius præſentia frui, & oblectari nos licet, non curioſè perquiritur ampliùs.

Sed, quando de Picturis incidit ſermo, Parnaſsi alterum Collem inſpiciamus, clariorum Pictorum ſedem. Tegitur hic penè totus altero Parnaſsi vertice: nec culpanda Camaſæi incuria, ſed laudanda potiùs induſtria; expreſſerat

enim

enim ille, quàm optimè potuit, loquacis Picturæ lumina; nec ita facilè Pictorum Regia exprimi poſſe videbatur; igitur alterum verticem ſapienter occultauit, doctis Viris percunctandi locum relinquens; vt à loquaci Pictura, mutæ Poëſeos gloria inquireretur: nec eum feſellit opinio; audiſtin' quàm lepidè ijdem Vates Tabulas aliquas Barberinæ Pinacothecæ deſcripſere? Sed, heus tu, inquies, in memoriam redi, & fidem tuam libera; quos nimirum hìc omiſiſti coronatos Heroes, ad immortalitatis Templum properantes, eorum nomina, resq; præclarè geſtas ediſſere. At ego, inquam, quo pacto enarrem, quod nec Camaſæus expreſsit? nullum in armis, quibus induuntur Heroës, apertè cęlatum innoteſcit oculis emblema, vel res geſta; atqui multi Principes, & Dynaſtæ has Aedes, & Parnaſſum adierunt, & adeunt; Apollini, Muſiſque contulerunt, & conferunt carmina; ita fit, vt difficilè admodùm ſit de ijs aliquid affirmare: aperiam tamen hìc tibi vltrò, quod ijs in armis, interdum clariore luce repercuſsis, exculptum videre mihi videor; alatum ſcilicet Animal; Equum, ni fallor, eumdem, qui in Helicona cùm euolauerit, ſaxum vngula feriens, Hippocrenen Fontem aperuit; quem ad Parnaſſi radices, propè ipſas Muſas, latè ſtagnantem, & purum efformantem

tem vidimus amnem. At hæc dum meditor, leni murmure moneri ita me ſentio; Quid dubius hęres in re tam liquida? nonne Pegaſus hic demonſtrat, ſeniorem ipſum Heroem, in cuius clypeo apparet, decoro vultu inſignem, frontem aurea corona redimitum, Carolum Barberinum? qui, dum vixit, Pegaſeas vndas ſæpè feliciter hauſit; idemq; in militaribus expeditionibus, pro Eccleſiaſtica Republica tuenda, inclyto decore, maximaque virtute, tamquam alter Bellerophon, conſcendit Pegaſum; tandemque Parnaſsij iugi gloria ſuperata, relicto fabulis Pegaſo, ad ſidera ipſe euectus, nunc inter ſplendidiora coruſcat. Qui ſint tres alij Heroes, agnito Carolo Principe, quis animo non præſentiat? eius nempè noſcuntur germani Fratres, Donatus, Nicolaus, Alexander, & ſua virtute clariſſimi, & ipſius ſummi Apollinis calamo, à quo ſunt iampridem Immortalitati ſacrati. At quid? num Iunior Dux Seniorem Ducem ducit ad Templum? Pręit is, non ducit; Nicolaus enim, in ipſo iuuentutis flore, eam bellicam gloriam adeptus eſt, quam & ampliorem dein, ętate grandiore, conſequutus eſt Carolus, militaris Imperator, fortitudinis, & prudentię ſimul poſteritati non pauca relinquens exempla. An verò imago eadem non etiam poterit referre nobis antiquiorem ijs Raphaelem Barberinum, Belgicis in

bellis,

bellis, ingenio, & manu inclytum? cuius eximiam virtutem teſtatam reliquit Eminentiſsimus Scriptor, inter noſtri, ſuperiorisq; æui Hiſtoricos, dignitate, nobilitate, fide, prudentia, eloquentia, facilè princeps. *Cardin. Bentiuol. Hiſt. Belg. part. 1. lib. 8.*

Sed iam ſatis diuertiſſe apud Vates videbimur: expeditè itaque properandum ad Pictores. Primus occurrit nobis Raphaël, inſpiciendamque offert nobiliſſimam Tabulam, in qua dimidiatam pulcherrimæ Fæminæ figuram depinxit, lineamentis, atque coloribus, tam artificiosè animatam, vt profectò dixeris, è tabula proſilire, non modò viuentem, ſed blandè exanimantem incautè eam intuentes; cui planè nec Campaſpen illam ab Apelle depictam præferendam exiſtimaueris. *Plin. lib. 35. cap. 10.* Neque tamen diuinum Raphaëlis ingenium ex huius Imaginis inſpectione omninò dignoſcere poſſumus; non enim admirabilem componendarum hiſtoriarum ordinem, atque optimam in moribus, affectibuſque exprimendis rationem, quibus ille longè cæteris omnibus antecellit, ex vna hac pictura facilè intelligas.

Vt verò curiosè intuentium oculos hinc ſtatim reuocaret Vir prudens, ac probus, rerum domeſticarum Pręfectus, Petrus Simon Marinutius, proximam huic Tabulæ alteram appoſuit, in qua Iulius Romanus, ipſius Raphaëlis Alumnus, bonorum eius, ſupremis tabulis, ex

ſemiſſe Hæres, eiuſdemque artis, ac virtutis vſucapione poſſeſſor, Deiparam Virginem, Puerumq; Ieſum, Matris genibus, puluillo ſubiecto, inſidentem, tanta Raphaëlis arte perfecit, vt eiuſdem Magiſtri crederes opus, niſi vim in ijs quandam maſculam recognoſceres, ad quam ille demum, magnorum Virorum effigies, bellicaq; Simulacra pingendo, ſeſe aſſueuerat. Effinxit enim viuido quodam colore Virginis faciem, maieſtatis ſimul, ac venuſtatis pleniſſimam, pietatis lucem adeò effundentem, vt, obruta ab ea curioſitatis peruicacia, redire oculi ad Raphaëlis tabulam innoxiè queant. Pinxit Puerum Ieſum annicu-lum, nec ideò capitoſum, molliterq; cincinnatum; non cæruleis pupulis, pendulisq; roſeis genis; non lactea cuticula; non ſine manuum compaginibus, vel digitorum internodijs; non diſtenta, turgidulaq; aluo; cotylis, cruribusq; non indiſtinctè rotundis, obeſisq;; qua prorſus forma Puſiones effingere ſolent magni pleriq; Picturę Magiſtri. Sed Puerum formauit Ieſum, blandæ ętatulæ præcox robur attribuens, tanto cum decore, ac ſymmetria, vt aptè, ac diſtinctè videas, tenellulis ſub membris, artus, neruos, muſculos, tibias, ſuras, talos, promptos item, expeditoſque pedes: animo fortaſſe reuoluens Iulius Gigantomachiam longè illa digniorem, quam Mantuæ pinxerat; recordatus ſcilicet firmitatis, qua Ieſus exultauit vt Gi-

gas

gas ad currendam viam, ad Cælum nempe verè oppugnandum, expugnandumq; tormentorum ſuorum aceruis, molibusq; ingentibus, Caluariæ Monti ſuperimpoſitis, ob id ſolùm, vt vnà ſecum in Cęlum Terræ Filios inferret. Eminet ſanè in hac Tabula Raphaëlis expreſſa pręſtantia; eadem elucet cæteris in Operibus, quæ Romæ cernuntur; &, ſi, quæ vndique Mantuam illuſtrant, luſtraueris, profectò auctam adeò eius artem, & præſtantiam cernes, vt non ampliùs alicuius alumnum, ſed ſupremum per ſe Artificem exiſtere affirmes. Id nos planè fateri oportuit, cùm, ſuperioribus annis, illuc peruenimus, vt, Principis noſtri nomine, Sereniſſimæ præmortui Reteleorum Ducis Coniugi, ac Mantuæ Ducis Caroli III. Nurui, Mariæ, eiusq; Filio Duci Carolo IV. exponerem, qua ille animi ęgritudine obitum proſequeretur extincti poſtremò Ducis, ſibi mutuo beneuolentię vinculo arctiſsimè obſtricti. Et quamquam celeberrima Italię Vrbs illa, ex Cęſarei militis obſidione, & direptione, ſqualida adhuc, & emaciata, tanquam lethali ex morbo, vix cęperat conualeſcere; breui tamen priſtinam valetudinem, & decorem ei ſpondebat ſumma ſapientia, & inuictus animus Ducis Mariæ, inter Duces reliquas planè dixerim Reginæ, imperium adminiſtrantis; adhibito præſertim conſilio, ex Ducis teſtamento, integerrimo,

ac prudentiſſimo Mantuæ Epiſcopi, Vincentij Agnelli Suardi: maxima autem humanitate, maieſtati coniunċta, excepit illa noſtri Principis pia officia, eiuſdemque pro dignitate, regio prorſus honore nos habuit; nil intentatum reliquit, quò fauoribus ſummis cumulati rediremus ad Principem: omnia antiquę magnificentiæ veſtigia ſpectata nobis voluit; non tam ad militum licentiam, quàm ad innocentis Principis fortunam deplorandam: vidimus, & admirati ſumus, inter cætera, ſuburbanas Aedes cognomento, T; olim ab ipſo Iulio Romano, ſumma architectura, ac magnificentia, à fundamentis excitatas, & mille fermè hiſtorijs, atque imaginibus ab eodem, varijs, plurimiſq; formis, arte maxima exornatas; tanta in veneratione ab ipſo milite habitas, vt nil dirutum, nil læſum, nil deturpatum in ijs videas. credas profectò exterritas feroces illas copias giganteo hìc ſpectato agmine, bellum ipſi Cælo minitante. Sed Corrigij Tabulam inſpiciamus.

Corrigius, Picturæ Miraculum, Deiparam depinxit, in cuius ſinu Infans Ieſus ſibimet Catharinam Virginem connubio iungit, eiuſque digito annulum induit. Quantam porrò in Dei Genitrice maieſtatem, quantumque puodrem oſtendit! quantam in Catharina hilaritatem cum animi demiſſione coniunctam! Hìc, admirabili illo

ma-

manuum, ac digitorum nexu, docemur, quomodò Chriſtus Dominus, adnitente etiam Genitrice ſanctiſsima, eos foueat, & complectatur, qui in eorum fidem, & clientelam confugiunt; quantoque præmio eoſdem exornet, nimirum ipſa, quam annulus deſignat, æternitate: quæ quidem omnia tanta colorum concordia, tantaque vi exprimuntur, vt propemodùm intuentium oculos aliò deflecti non ſinant.

Attamen Caracci Tabulam ſi diligenter inſpiciamus, parùm, aut nihil à Corrigio nos diſceſsiſſe exiſtimabimus: antiquiores ab eo depictas nuptias intuemur; nuptam nempe Rebeccam Abrahami Filio Iſaac. Verùm hìc quàm ſuſpenſum animo Eliezerim, Abrahę vernam, quàm etiam humilem, hinc Deo gratias agentem, hinc Virgini monilia offerentem, effinxit Caraccius! Rebeccam quoq; quàm humaniter aquam tribuentem, quàm modeſtè quaſi hærentem primò, mox hilariter munera accipientem! vt promptę ſimul, atq; expeditæ ad nutum cernuntur Ancillæ! ad hæc, vt ipſe Puteus, & vaſa nitidiſſima dulces nobis vndas planè videtur effundere!

Sed, quæſo, ad proximam Picturam oculos conuertamus, in qua Parmenſis, Corrigij æmulus, Deiparam Virginem depinxit, puerulum Ieſum manu complectentem, quem Catharina, ni fallor, ſupplex, atque humilis

ado-

adorat: quod quidem opus ſummam ipſius Auctoris celebritatem, & incredibilem quandam facilitatem præſefert: cæterùm, laudatiſsimus Vir, quantum à Corrigij maieſtate delapſus eſt, tantumdem viuacitatis, & gratiarum aſſecutus videtur.

Nunc verò in proximo Bonarotæ Opere lineandi artem eximiam, Anatomes cognitionem ſummam, & rerum inuentionem admirabilem videre licet: (Bonarotæ Somnium appellant) Mundi globo Iuuenis innixus, nudo corpore, eodemq; ſingulis membris affabrè compaginato, primò ſe intuentibus offert; quem Angelus, tuba ad aures admota, dormientem excitat: hunc non aliud referre crediderim, quàm ipſam Hominis mentem à vitijs ad virtutes, longo veluti poſtliminio, reuocatam; ac proinde, remota ab eius oculis longiùs vitia circumſpicies. In quo quidem Opere eandem prorſus artem, quam in Sixti IV. Pontificis Sacello, non ſine maxima admiratione, ſpectamus: ſiquidem Vir, Artificum clariſſimus, in quo maximè excellat, vtrum in Pictura, an verò in Sculptura, dubium nobis reliquit: hoc vnum certiſſimum, ſumma Architecturæ peritia, non modò recentiores, ſed antiquiores etiam ſapientiſsimos ab eo longè ſuperatos, prĕſertim ſi ad Vaticani Templi ſtructuram ſpectes, eamque præcipuè ſacræ Baſilicæ partem, quæ

ipſius

ipſius ichnographiæ paret, magnificentia, venuſtate, omnibus denique numeris, & partibus abſolutam.

Huic Picturæ, loco, & artificio proxima eſt illa Sebaſtiani à Plumbo, qui eiuſdem Bonarotæ non modò præcepta ſecutus, ſed adeptus ingenium, atque artem, videtur, parua quidem Tabula, Clementem Septimum Pontificem ad viuum exprimens, quæ intuentibus magna refert; excelſum videlicet animum, maxima ſemper molientem, non infractum, vel per Vrbem graſſantibus barbaris: magni tamen pretij Opus, quòd rapaces hoſtium manus feliciter euaſerit.

Nec longè abimus à Clemente Septimo, Titianeam nunc inſpicientes Tabulam, Pauli Tertij Pontificis effigiem optimè referentem: equidem in effingendis Hominum vultibus Titianus quàm maximè excelluit; quamobrem Principes Viros propemodùm omnes ab ipſo expreſſos videmus: admiraberis hìc in octogenario, arentiq; Sene virentem, vigentemq; animum, nullis laboribus, nullis itineribus feſſum: adeſſet hìc optarem Caroli Quinti, à Titiano non ſemel depicta, effigies; profectò eorum colloquia, reconciliationes, negotiationes innoteſcerent. Vtinam ad hoc archetypum aſpexiſſet, qui eundem Pontificem ad Peruſinæ Arcis ianuam propemodùm excubantem efformauit; non illum, ſanè, trucem

vultu,

vultu, (proh dolor!) minantemque ſupercilio intueremur, & coërcentem Maiorum noſtrorum ferociam, noſtroque periculo cæteros omnes admonentem, ne quo pacto Romani Pontificis detrectent imperia. Verùm, (ſi vera à Maioribus audiuimus) acre illud, & priuatis Principis rationibus propè timendum noſtrorum ingenium, ab imminenti tum fortaſſe, ac duro nos iugo liberauit. Sed à re propoſita Patriæ amor me longiùs abduxit; redeo igitur in viam. Titianus, naturalem rerum omnium ſpeciem diligenter perquirens, perſpicacitate admirabili, optimam quamque deligere conſueuit; quamobrem Naturam in ſuis optimè imitatus, intuentium oculos, atque animos intentos maximè tenet: id quod ſpontè fatebitur, quiſquis præclarum eius Opus Venetijs viderit, in quo Petrum Martyrem, ab impio Sicario crudeliter cæſum, tam ingeniosè retulit, vt egomet olim hanc picturam ſpectans, in eaq; atrociſſimum facinus, admirabili quodam artificio, vaſtiſſimi nemoris nocte contectum, quà ad timorem, quà ad pietatem illicò excitari me ſenſerim.

Sed iam ad Alberti Duri Tabulam peruenimus: Is pinxit Mariam Virginem, in lectulo, ſumma cum modeſtia, & maieſtate, cubantem, &, circumſtantibus Apoſtolis, cæleſtem animam agentem; in cuius

vultu

vultu, mortem vincente, æternùmque victuro, depicta ad viuum mors cernitur; apparet deſinentis vitæ occaſus, ſed feliciſsimus æternę vitæ ortus quoque inſpicitur; &, dum inter ſe mors, ac vita luctantur, adeſſe quietem videas, ſomnumque, mortis imaginem, Mariæ ſacra membra occupaſſe; iamque mortuam, dormientem potiùs, quàm morientem, depictam eſſe credideris. Cernes inſuper beatiſſimos Apoſtolos, vario loco, atque habitu diſpoſitos, vnanimeſque, ſpectabili dignitate, quem ipſi corde premunt dolorem, ipſius Virginis hilaritate, ac felicitate ſibi lenientes: induunt Antiſtites talares veſtes, non adeò duplicatas, aut laciniątas, vt delineata mirificè eorum membra pari artificio interdum non appareant. Eſt autem hæc Tabula planè omnium abſolutiſsima, atque in paucis huius Auctoris optimè cuſtodita.

Proxima huic eſt Vincij Tabula, in qua Martha, & Magdalena, ſeſe inuicem alloquentes, elegantiſsimè, vt temporibus illis, ſunt depictæ: etenim Vincius, non modò penicillo, ſed & calamo maximè excelluit, quæque ſcribendo docuit, pingendo probauit: & ſanè in lineamentorum analogia, colorum vnione, inque affectuum vera expreſsione Vincius planè omnes vincit.

Accedamus porrò ad inſignem Sarti Picturam; at-

que hinc Deiparam Virginem, admirabili quodam decore ſpectabilem, contemplemur, hinc tenellulum Ieſum, marmoreæ, ni fallor, columnæ inſidentem; quam quidem, per ſummam Pictoris induſtriam, deſumptam ex ſacris Aedibus Praxedianis planè dixeris; vt nimirum Puerum Ieſum, iam olim à pueritia redemptionem humani generis molientem, & futuras poenas aſſiduè meditantem, nobis repræſentaret. Hìc autem ad Ieſu pedes Præcurſorem adhuc Puerum procumbentem Sartus adiunxit; vt nimirum eiuſdem Præcurſoris humilitatem referret, qua deinde ingenuè profeſſus eſt, ſe indignum omninò, qui Chriſto Domino calceamentorum corrigiam ſolueret.

Opportunè autem nunc nobis viſenda occurrit Rheni Tabula, in qua Hieronymum, maximum illum Eremi, & litterarum omnium cultorem, expreſſit, ieiunijs, atque vigilijs pallentem, Chriſtum Crucifixum altera manu ſuſtinentem, eiusq; pedes rigantem lacrymis, neq; vnquam à pectoris verberibus ceſſantem. Porrò Pictorem, noſtra memoria laudatiſſimum, celebrare ſuperuacaneum eſt. Equidem Ciuibus meis nuperrimè ex animo gratulatus ſum, quòd pulcherrimam ab eo Tabulam acceperint, quam in Templo, ſuperioribus annis Con-

ceptæ

ceptæ Virgini, & Sancto Philippo Nerio Peruſiæ excitato, publicè expoſitam admirantur omnes. Illud verò vnum Poſteritas admirabitur, Rheni Tabulas tanto pretio à nobis fuiſſe redemptas: aliam ſcilicet viam aggreſſus eſt Rhenus, quam olim Athenienſis ille Apollodorus, qui, cùm maximè ſuas Picturas pecunia vlla commutari non poſſe exiſtimaret, eaſdem dono dare conſueuit; atque eo nomine Agrigentinis Alcmenam, Pana Archelao largitus eſt. *Plin. lib. 35. cap. 9.*

Nunc demum binas Sacchij Tabulas inſpiciamus: quarum altera Seculare nobis Feſtum repręſentat, quod ſuperiori anno à Loiolæa ſacra Familia, adnitente Principis noſtri liberalitate, omni apparatu, ornatuq; celebratum fuit: hìc verò abſolutiſſimam Opticæ diſciplinæ peritiam videas, qua Sacchius res propè innumeras, atque inter ſe longè diſcretas ſub oculos ponens, intuentes ingenioſè decipit. At quanto ille artificio, orizontis, vt vocant, lineam conſtituit, ad quam cæteræ ſanè omnes ſeſe conuertunt! hanc ſiquidem conſultò ad extremam quantùm potuit Tabulæ partem poſuit, quò elegantiùs tota Templi ſtructura conſpiceretur. Quantam etiam induſtriam adhibuit, dum lumina ex vmbris extrahit, vmbraſque ipſas contrahit; dum lineas omnes, vmbræ, & lumini admodùm

 cohæ-

cohærentes deducit! Hic verò, amota anteriore Templi facie, interiores partes ſingulas intueri licet, & VRBANO Pontifici, ſacras ipſas Aedes inuiſenti, gratulabundos Patres vndiq; occurrentes, Purpuratos etiam Principes Pontificio lateri adhærentes, Procerum deinde, atque Aulicorum ſtipantem cateruam, &, quod maximè admirere, ſingulos propemodum ex vultu, atque habitu facilè dignoſcere poteris. Effuſam præterea ad Templi limen populi multitudinem cernis, Pontificia cuſtodia propellente, atque inter lecticas, currus, equos, equitum turmas, homineſque prope innumeros diſcurrentes. Nec verò inconſultò Sacchius ad alteram Tabulæ partem punctum opticum finxit; eique ſoli lumen contulit, vt ea nimirum ratione intuentium faſtidium vitaret. Porrò auguſtiſſimam Templi faciem, regia Principis noſtri ſupellectile ornatam vt aliqua ratione exponeret, intentos omnium oculos, animoſque rei admiratione ſuſpenſos expreſſit.

Sed altera Sacchij Tabula ſeſe offert, meo quidem iudicio aſpectu digniſſima. Hæc id refert, quod nec centenario recurrente anno ſpectabit fortaſſe poſteritas, Velitaris haſtæ Ludis, ad equeſtris prælij ſimulacrum, perhibita in Agonali foro ſumptuoſiſſima Spectacula, eiuſdem Principis noſtri au-

ſpicijs,

ſpicijs, ſpectante Populo, Patricia Iuuentute velitante. Hæ tam inſignium Spectaculorum imagines pellexere Sacchium ex Opticæ ſcientiæ limitibus prodire, non modò ( quod in re tam ardua, & plena periculoſæ aleæ mirum eſt ) peritis huius artis non reprehendentibus, ſed ſummoperè illum laudantibus. Placuit ei orizontis lineam, ſuperiore in loco Tabulæ, præter optica theoremata, collocare; quæ omninò haud collocanda eſt ſupra ipſos naturales oculorum radios, ne ſcilicet ab aſpectu noſtro ſpectandæ res præcipites ire videantur: ſolers tamen Pictoris ingenium, linearum ductu cæterarum, ac vi, de tono, & ſplendore vegetorum colorum, deque armoge fuſcorum pigmentorum elicita, propoſitum, non leui omnium admiratione, aſſequutum eſt ſuum; quòd ſcilicet, oculis occulta arte deceptis, ſine viſus refractione, rerumque diminutione, cuncta in plana ipſa ſuperficie videantur oblata. Hunc autem proſpectum tam feliciter eduxit Sacchius ex lineis potiſſimùm ipſis, maximè in longum deductis: ampliſsimus enim, hoc pacto, atque capaciſsimus fit conus, cuius acumen inſidet in ipſo pupillæ circulo; vnde euenit, quæ ſub maiori cernuntur angulo, vt maiora videantur. Hac ergo ratione, ac methodo, quicquid in Spectaculo de-

lo delectabile , aut memoratu dignum proſpici is voluit, mirabiliter efformauit. Sed, quod ſuſpiciendum in hac Tabula magis eniteat , illud mihi quidem videtur, quòd omnia præceptis, vel geometricis menſurata, vel geographicis delineata , vel architectonicis librata cernuntur ; Theatralis cauea , Catadromus; aliæ ſeſe ſiſtentes , aliæque procedentes Equitum alæ , ſingulæ conſimili ſumptuoſiſſimo veſtitu ornatæ ; Peditum cateruæ, tentoria; ludicræ pugnæ, ac decurſionis Iudices, earundemque Præfectus; Cardinalium, Matronarum , Principum ſolia ; & ſexcenta huiuſmodi : ex quarum rerum tam diſtincto proſpectu colligitur, Sacchium non tantùm ichnographiam lineatam, vel adumbratam ſibi propoſuiſſe ad imitandum , ſed ligno quoque , aliaue materia exemplar , vice plaſmatis , ſibi effinxiſſe , ac fabricaſſe ; & libella rectitudines , dioptra diſtantias , circino dimenſiones diligenter exploraſſe , accuratèque examinaſſe . In ea autem via , quæ Forum ipſum interſecat, à qua Theatrum oblongam in formam ad Principum Vrſinorum Aedes protractum cernitur , veluti in portum ductam depinxit latam illam, ſublimemque Nauim, quæ, poſt peractos noctu ludos , reducto , innumeris penè facibus , illuſtri die , hinc atque hinc depictas per vndas nouum

viſa

viſa eſt currere depictum æquor. Verùm enimverò hanc vnam ob cauſam exiſtimo pinxiſſe Sacchium, hanc Tabulam, vt, ſi quando deinceps exhibenda ſint huiuſmodi Spectacula, habeat Poſteritas, vnde ſibi ſumere poſsit exemplum. At vereor, ne ille fruſtra elaborauerit; deerit enim, opinor, qui imitari aut velit, aut poſsit diffuſam Principis noſtri in omnibus liberalitatem, atque humanitatem, quibus hæc ille ſpectacula, paruo quidem negotio, ſed magno impendio, excitare & potuit & voluit. Sed, heu! vbi nam, hìc perſpecta ſępiùs, collocata nunc cernitur Tabula, quam, ſuperiori anno, Principi noſtro obtulit, Peruſinę Nobilitatis decus, Fabius Corneus? qui concinnato è bona bello cornu penicillo, ornatiſsimis manibus pingens Circem, ſocioſque Vlyſſeos, in grunnientes Sues turpiter conuerſos, atque, Vlyſſe ſtricto gladio minitante, priſtinę formę reſtitutos; hoc eſt ingenij acie vitia ſuperata; priſcum honorem reſtituit Picturæ, principem Virum, ſibi cognominem, veterem Fabium imitando, qui Salutis Aedem pinxit; vel Vatem Pacuuium, Vates ipſe elegantior, æmulando, qui in Foro Boario pingebat. Hanc ego Tabulam ab ipſo Phileſio Apolline expoſtulem ne, donec illa Parnaſſo reddatur? equidem nobiliſſimo huic Auctori, & Picturæ, & Poeſeos

gra-

gratia, hìc inſignis debetur ſedes. Tu verò perlege Carmen, in quo & Tabulam vide.

*Cùm videas in bruta homines conuertere Circem,*
*Dic, homines vitio ſæpè redire feras:*
*Sed modò proſpiciens opera ſapientis Vlyſsi*
*Congrua reſtitui frontibus ora ſuis,*
*Dic fieri virtutis ope, vt vel corda ferina*
*Humanos diſcant ingenioſa modos.*

Sed iam te video, inſpectis hiſce Parnaſſi picturis, vltro me percontari de Simulacris, & Signis, quibus pulcherrimis eum pleniſsimum autumas: de qua quidem re paucis me expediam, ſtatim ac tibi enarrauero, quod mihi ſuperioribus diebus contigit, dum Barberinas à me deſcriptas Aedes Vir grauiſſimus perluſtrabat, ne tu quoque, noſtri inſtituti inſcius, id ipſum obijcere queas. Is, cùm primùm celebriores noſtri æui Pictores legit, Cur tu, inquit, Io: Franciſcum Romanellium præteris? an nouum oriens picturæ lumen non vides? cuius virtutem ſuſpiciunt omnes, & Raphaëlinum appellant? quidni ego, inquam, Iuuenem, omnium laudibus celebrem, ignorem? at, cùm nihil prorſus eius penicillo elaboratum in Aedibus viderim, haud mirum, ſi eius nomen, & laudes tacuerim. Aderat tum homo mei amiciſſi-

ciſsimus, & Picturæ ſatis peritus, qui me ſtatim clam admonet; &, Caue, inquit, Teti, ne duris adeò legibus te ipſum adſtringas, quibus facilè damnari poſsis; & Petrum Peruſinum te pluribus celebraſſe memento, cuius ne lineam quidem, nedum Tabulam in Aedibus eſſe cognoſceres. Ita ne, inquam, me miſerum! at at, noui quid faciam, quo pacto fidem meam tuear; deceptum me Raphaëlis, adhuc iunioris, Tabulis aliquot dicam, quæ quidem Petri eius Magiſtri artem adeò redolent, vt vel peritiſsimi cuiuſque oculos fallant. Hæc mecum ipſe dum cogito, ſubit animum, mendacio mendacium eludi haudquaquam decere: at nec Petri Peruſini nomen expungendum videbatur. Quid hìc agerem? Peruſia è meis Aedibus Petri Tabulam haud ignobilem huc transferendam curaui, quam ad ſolertiſſimum Marinutium miſi, qui alicubi clam collocari illam iuberet, atque, inconſulto Principe, Pictoris gloriæ, meæq; fidei conſultum vellet. Tu ſi huiuſmodi culpam me contraxiſſe, nomenq; aliquod Pictorum noſtrorum inſigne incautè me omiſiſſe reputaueris, ſcias modò, quo pacto à culpa me liberem, & mittas Tabulam, in ijs Aedibus collocandam, vbi illa cum cæteris omnibus laudatiſsimis Picturis perpetuò viuet. Quod pertinet ad Statuas, non ſine tui admiratione audies, ſculptilia

nullum hìc habere locum: (quamquam his in Aedibus alibi penè innumera ſpectantur) an fortaſsis Marmorum pallorem viuidi formidant colores? quibus aptiſsimè muta Poëſis, & loquax Pictura ſuas concinnant locutiones; à quibus quoque deſumunt quicquid venuſtatis, & viuacitatis ars, & induſtria ad ſimilitudinem excogitare poſſunt. Quod autem ſpirans ſpectatur Simulacrum Excell.mi Caroli Barberini, Equo inſidentis, celeberrimi Viri Franciſci Mochij Opus, non ex pallenti marmore, ſed micanti ex ære deductum eſt: de quo audi Carmen, à me inconcinnè, quòd Poëta non ſim, conflatum.

*Quid ſtupeas, Natura, Mochi admirabilis artem,*
*Qua ſpirans Carolus, tam benè frænat Equum?*
*Maior at hæc, pandens, animi compeſcere motus,*
*Vt compeſcit Equum, ſic valuiſſe Ducem.*

Illam verò VRBANI Pontificis diuinam prorſus effigiem, quæ marmorea hìc pariter cernitur, haud Equitem Berninum Cœlo exculpſiſſe credimus, ſed è Cęlo in Aedes Sacrum id Palladium delapſum colimus: quod & ego iſthoc Carmine, vtcumq; conſcripto, ſum veneratus.

*Fronte, oculis, vultu, lux auguſtiſsima ſurgens,*
*Hic, docet, Artificis non opus eſſe manu;*
*Palladium è Cælo demiſſum cernimus, huius*
*Vt decus æternum ſit, columenque Domus.*

Verùm

Verùm ne, me hìc iam ſilente, niſi, quam de Statuis, ac Simulacris habuiſti, expectationi fiat ſatis, amorem, ſtudiumque meum deſideres; ex Odeo te, à Parnaſſo tamen quodammodò non abeuntem, in Exedram vocare operę pretium duxi. Hæc, vt aliàs enarrauimus, ouali forma concamerata, varièque marmorata membrorum compoſitione inſtructa, calce dumtaxat medica dealbata, in regalis Aulæ fronte ſeſe pandens, ſolùm Statuas recipit, ac marmorea Simulacra, Picturis omninò ab ſe pulſis: an, quia, ſpectata Cortonenſis induſtria, eruditi oculi neſciunt, tam propè, colorata oblectamenta inquirere? an verò noſtrum humanum ingenium ſæpè diſpari quadam rerum varietate oblectatur; & modò picturarum diuites parietes, modò inopes; aliàs vnà cum picturis Signa, aliàs ſeorſum ab illis gaudet intueri? quaſi Artes iſtæ, quamquam natura cognatæ, atque ex Plaſtice matre genitæ, diſiunctæ tamen ſint, ſeſeque inuicem non ſemper amplectantur: hinc ſæpè colorata lina, tabulæque, in quibus ſolidæ, ac robuſtæ prominent Imagines, quaſi Statuarum æmulæ, primas pręſtantiæ occupant laudes: hinc, pari licet induſtria elaborata marmora, veluti coloratæ fallaciæ ignara, naturæque ſolùm candore contenta, lineis, tabuliſque antecellere exiſtimantur,

non picturarum æmula, ſed æternitatem ipſam æmulantia:

*Hor. Car. lib. 4. Od. 8.*

*Per quæ ſpiritus, & vita redit bonis*
*Poſt mortem Ducibus.*

Sed nos huiuſmodi argumenta ijs relinquamus eruditiſſimis litterarum cultoribus, quorum vſui locum hunc, Muſis annuentibus, opportunè comparatum, iam anteà reputauimus. Hìc tu ergo videas primò lætas circumſtare nobiliſſimas integras Statuas, Simulacra etiam, ac Signa ad vmbilicum vſque formata, aliaq; marmora anaglyphici, & diaglyphici operis, varijs ſcilicet figuris, quà eminentibus, quà inciſis, exculpta: quæ ſingula miro quodam artificio, ac ordine, ſeu ſuis in thecis, loculamentisq; inſiſtunt, ſeu ſtylobatis innituntur. In his autem omnibus, vel ſolertis Scopæ, vel docti Myronis, vel Lyſippi, tum Phidiæ, ac Praxitelis ingenium, atque artem admireris: verùm ſi accurata animaduerſione, ac diſtincta, contemplari cuncta volueris, immenſum prorſus aggredimur opus. Quamobrem in ſpectabilioribus rebus, quæ ob oculos veniunt, potiſſimùm acquieſcas velim; hoc tamen conſilio, vt vno, aut altero Marmorum ex quolibet genere, breui temporis interuallo, hìc oculi teneantur tui; de ijs enim ipſis habebis, poſtremo huius ſcriptionis loco,

eo or-

eo ordine, quo à me anteà deſcribentur, delineata exempla, atq; adeò exemplaribus ſimilia, vt tu quamnam earum artium præferas, dubius, incertuſque futurus ſis; cùm, Picturæ beneficio, marmora cælo elegantiſſimè exculpta, &, veluti ceram, tenui ſtylo, ad omnes formas deducta videas: quique in ſingulis marmoreis Imaginibus apparent animorum ſenſus, perturbationes, motus, mores, omnes in exemplis ipſis perſpicias, penicilli induſtria: ora, oculos frontem, genas, capillos, quaue ſingula membra pollent maieſtate, decore, venuſtate, ab expreſſione decoloris lapidis, Pictura reddit tam ad viuum, vt

*Sculpta putes, quæ picta vides.* *Maphæi Barberin. Cardin. Poëm.*

Hìc autem vnum deſiderabis, nomina ſcilicet Artificum: at hęc ſculpta crediderim ea tempeſtate, qua, ſtatim atque quis Opus finxerat, vt è Cælo delapſum putaretur, Artifex perimebatur. Cęterùm, quas marmora referant perſonas, ſcire ſi cupis, res breuiter cum nominibus habe. Sed quęnam prima erit Imago inſpicienda? Si auream illam Socratis Statuam, ab Athenienſibus publicè olim expoſitam, vnà hìc haberemus, pręcelleret illa quidem omnibus apud nos quoque; non tam vt Opus à marmoris Sculptore, quàm vt à morum Artifice confictum. Sed non auri, argentiue, aut æris

*Clem. Alexand lib. 1. Stromat.*

*Laert. Diog. in Socrat. vita.*

ſculpti

ſculpti quicquam hìc reconditur, ne materia potiùs, quàm præſtantia operis laudetur, gloriaque Artis obſcuretur metalli ſplendore: quàm longè pretioſiora hìc ſunt, quæ ex ingenio hominum, quàm quæ ex terræ fodina hauriuntur! At quoniam Socratis auream Statuam oculis contemplari non poſſumus, eius auream ſententiam mente ſaltem intueamur. aiebat ille, ſe mirari, atque miſereari eos, qui lapides ſculpunt, dum omni conatu inſudant, vt lapis homini ſimillimus euadat, & ſit; contra verò negligunt, ipſi ſi lapidibus ſimillimi ſint, & videantur.

*Ibid. Laert. Diog.*

Sed ecce iam Roſtra, Statuarum locum illuſtriorem, A conſcendit M. Tullius Cicero, noſtram, ni fallor, Academiam laudaturus, & eos primùm, qui, prȩteritis diebus, eius dicendi artem, & præcepta ſecuti, eiusq; eloquentiam aſſecuti, Principis noſtri in Aedibus, coram ampliſſimis purpuratis Principibus, & litteratiſſimo cȩtu verba fecerunt; Bracciolinum, Holſtenium, Guidiccionium. Admiratus eſt in primis ſummus ille Orator, & Philoſophus dicentem Bracciolinum; qui iucundiſſimam, prȩ cæteris hominum ætatibus, Senectutem eſſe demonſtrauit; de qua olim ipſe, vt faciliùs, & honeſtiùs eam traducere poſſent prudentes Viri, multa tradiderat documenta; nunc verò, Bracciolino ſuadente, non modò

non

non reformidandam videri, tanquam ærumnarum Aegeum, ſed optandam, tanquam fluctuoſæ nauigationis tutiſſimum portum. Cùm verò is laudationem aggredi vellet, ſuam id illicò in memoriam reuocauit, quod peruulgatum nuper inaudierat, Gaſparem de Simeonibus, ingenio ſibi, & eloquentia parem, in eadem Academia, non multos poſt dies, contra Laudem, veluti Virtuti aduerſantem, ac noxiam, prælecturum: Tullius, vt eruditiſſimi Viri dictis, quaſi ab ſe iam perceptis, obtemperans præcurreret, ab omni laude ſe abſtinuit: tum ab inſtituto exornationis genere recedens, ad iudiciale ſtatim, his verbis, ſe conuertit: *Siue Sylla, ſiue Marius, ſiue vterque, ſiue Octauius, ſiue Cinna, ſiue iterum Sylla, ſiue alter Marius, & Carbo; ſiue quis alius ciuile bellum optauit, eum deteſtabilem Ciuem Reipublicæ natum iudico.* Perrexit vltra, in hanc ſententiam, eius oratio: Et quamquam fortaſſis tum poſita in Roſtris fuerit hæc Syllæ Statua, cùm Quæſturam ſub Mario adeptus, flagitioſiſſimos adoleſcentiæ mores in optimos commutauerat; nihilominùs eam prorſus hinc arbitror amouendam; Dictator enim effectus, ita Rempublicam oppreſſit, vt nemo, illo inuito, nec bona, nec Patriam, nec vitam retinere potuerit.

*Cic. Philipp.* XIII.

B

*Plutar. in Syll.*

C Conuerſus dehinc ad Marium, dixit, Eum, etſi, perſun-

functus ſanè gradatim omnibus honoribus, Conſulatumq; adeptus, Iugurtham profligauerit, atque ante currum adduxerit; Cinnanam tamen dominationem ſecutum, in ipſam Rempublicam nullo ſæuitiæ generi peperciſſe; indignum proinde ſęuiſſimum hominem, qui inter clementiſsimos, atq; optimos Viros veniret: Quanta, quanta enim maxima fortitudine, vel in bellis feliciter gerendis, vel in rebus aduerſis conſtanter perferendis claruerit quis; dum in Patriæ perniciem ea vtatur, furor eſt, non fortitudo. Sed, pace tua, Cicero, ſpectanda ſunt inter claros Viros, vitiorum ſimul, ac virtutum exempla; altera vt fugiamus, altera vt imitemur; & quemadmodum in picturis vmbræ clariora reddunt lumina, ita hìc, veluti in Cebetis ſculpta, non depicta Tabula, optimi mores, cum peſsimis comparati, magis eluceſcunt.

*Plutar. in C. Mar.*

Ob id inſuper hìc cernimus, facinoribus, voluptatibuſque inſignes, Iulias duas; quarum prima cognomine Mœſa, quantum ſæpè muliebre ingenium poſsit, quantumque artificio valeat, mirificè oſtentauit. Hæc namque, poſt mortem Antonini Baſsiani, ex Aulica Domo Macrini ſuperbia expulſa; ſumma arte, atque induſtria, ad imperium euexit Heliogabalum, ex Semiamira Filia Nepotem: præter namque maximam pe-

D

*Iul. Capit. in Opil. Macrin.*

cunia-

cuniarum largitionem, in milites effuſam, inuerecundè non dubitauit affirmare, Heliogabalum eſſe Antonini Baſsiani filium, vt militibus eum conciliaret, qui beneuolentia ſingulari Antonianos, odioq; intimo Opilium Macrinum, Antonini Baſsiani interfectorem proſequebantur; duplici adhibito amoris, & odij lenocinio: neque ſanè eſſe malè mulctandam Politicus quiſpiam iudicaret, quæ ſibi, regnandi cauſa, parere viſa eſt ignominiam, niſi non hominem, ſed belluam Romano dediſſet Imperio.

Hìc iam alterius Iuliæ, cognomine Aquiliæ Seueræ, cuius effigies Iuliæ Mœſæ proxima ſpectatur, cauſam, quis hominum ſuſcipere audebit, eamque aliquo pacto purgare tentabit? Dum illatam iſte religioni iniuriam tueri nolit, Perſuaſit, dicat, nox, amor, vinum, ætas, tum & Heliogabali ſumma potentia, imò impotentia, vt, ſacrilego ſtupro, Veſtalis Virgo duci in vxorem paſſa ſit; nempe vt ex ſummo Sacerdote, & Dijs Virgine ſacrata, noua Deorum progenies oriretur; & non tantùm ille, qui nec homo appellari dignus erat, vocaretur Deus, (tantæ erat dementiæ) ſed & vnà qui naſcerentur Filij. Profectò ſi Veſtalis famoſiſsima hæc Virgo, ſtatuta in inceſtuoſas Veſtales pæna fuiſſet affecta, viuaque defoſſa, non imprudens ve-

*Xiphil. Epit. Dio. Nic.*

rerer, ne eadem ipſa, humo diu altè compreſſa, tandem in lapidem, Natura cogente, conſtricta, huc in exemplum eſſet adducta: tam viua elucet in marmore eius imago.

F Sed Rex Ponti Mithridates, cuius effigies opportunè ex aduerſo ſpectatur, magni animi, & corporis exprimens Virum, huc translata è Græcia, vbi nobiliores floruere Statuarij; è ſuo pharmaco, alterum nos docet contra huiuſmodi Fœminarum amatorium virus: aduerſus enim Viperarum venenum, ex Viperis ipſis in fruſta concisis, Rex parabat antitodum.

G En ex altero latere, probitatem ſpirans, Marci Aurelij Antonini Imperatoris, cognomento Philoſophi, Simulacrum: hoc nobis ante oculos ponit ſummum Virum, forma conſpicuum, ingenio clarum, honeſtiſſimis moribus excultum, ſingulari eloquentia ornatum. Cur autem hoc ipſum Simulacrum nobis dicere non liceat Apibus repletum, vt per Etruriam olim vniuerſam, ſub ipſius Principatus initium, cæteræ eius Statuæ viſæ fuere? eſt ipſa Apum Domo contentum, non in auſpicium ab Antonino initi, ſed in plauſum ab eodem expleti cum virtute Imperij; vbi Apes non ſolùm felicitatis omen ſuſurro, ſed ipſam melle, felicitatem ferunt.

*Iul. Cap. in Vit.*

Con-

Coniuncta huic, vt par eſt, ſpectatur Lucij Commodi, Fratris, effigies; cuius mores quamquam in pleriſque non laudatos vultus oſtendit, non tamen improbari omninò ſinit commune, quod, dum vixit, cum Antonino Philoſopho habuit Imperium; vnum id dumtaxat Romana Republica ſentiente, duobus licet Auguſtis imperantibus; validiſſimo ſanè argumento aduerſus Politicos, negantes, poſſe duplici dextera, ſine mutua ſuſpicione fraudis, ſceptrum integrum adminiſtrari. H

*Iul. Capit. in Vit. Ant. Philoſ.*

At video te, ſuſpenſo oculo, ac ſupercilio, intueri prominentibus imaginibus exculptum Lapidem: quid? nonne in marmore Venationem expreſſam, imò ipſius Venationis oſtentum agnoſcis? En equo inſidentem Virum, à grandi ætate non omninò alienum, manu quodammodò venabuli truncum retinentem: en currum, bobus pertractum, non hoſtium ſpolijs, ſed ipſis hoſtibus, Apris nempe, Damisq; onuſtum: en indagatores anhelantes Canes; vt eſt propior ille, pectore lato, ceruice longa, vngue valido, crure robuſto, ventre inani, cauda indice! en venatores alios, expedita, & commoda veſte præcinctos; qui præit, quaſi cornu, ſeu buccina armatus, quàm lætus ouat, quàm iucundus! At tu miraris fortaſſe, quam ob rem marmor I

iſtud locum habeat inter Principum effigies, tanquam ab ijſdem ſpectatum; audi Marcum Tullium; *Iam verò immanes feras, & belluas nanciſcimur venando, vt veſcamur his, & vt exerceamur in venando, ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ.* Amant equidem Principes huiuſmodi exercitationes, quibus ad bella corporis vires firmantur, animi audaciores fiunt; membra robuſtiora ad tolerandas cæli iniurias, itinerumque labores, & ſimul mentes à ſolicitudinibus, magniſque curis reuocantur, ac redintegrantur. Mithridates, quem modò vidimus, adeò venatu oblectabatur, vt, longo temporis ſpatio, aliquando nec vrbanum, nec rurale tectum ſubijſſe feratur. Et Antoninus ipſe Philoſophus, relictis alijs ludicris, hoc vno belluoſo, quaſi bellicoſo apparatu ſeſe frequenter oblectabat. Quid mirum ergo, hìc ſi ſpectatur præda cœlo expreſſa; & fortaſſis capta apud inſignia Ereti noſtrorum Principum venatoria loca, delicias fortaſſis ipſius olim Antonini? Quod idem affirmet quiſquis ſuperiori anno ibidem venationibus interfuit, noſtro cum Principe Cardinali Antonio, feraſque per ditionem illam ampliſſimam indagauit; vbi miro artificio ſyluas, & nemora immenſa, ad cibum ſolùm, & ſtabulum belluarum, ſata, & culta videntur; vbi interſita

Cic. lib. 2. de Nat. Deor.

paſsim

paſſim prata, & prædiuiſæ planities, valles, defluenteſque riui, occulto dolo, in apertas inſidias trahunt vagantes, & ad nota paſcua, & ſtabula recurrentes feras, adeò innumeras, vt quam inſequaris ignores. Vidiſſes, eodem ferè tempore, per campeſtria hæc loca eundem Principem, quaſi bello natum, imperatorijs fungi officijs; peditum copias longo ordine diffundere, equeſtribus apertiora loca munire: non oppanſa retia, ſed expanſa lintea, quaſi excitatum ſcenicum murum, impetuoſis belluis opportuniore ſitu opponere: Canes veſtigatores, copulis ſolutos, latratibus bellum belluis indicentes, in nemora immittere: emiſſarios Canes ad viarum initia ſiſtere, aperto marte, datis numellis, veluti frænis, pugnaturos. Vidiſſes aduerſus annoſos Apros eundem, modò alacrem equum in gyrum flectere, modò, addito calcari, currere, & recurrere; donec immanes belluas, Canes ipſos proſternentes, ore tela confringentes, præacuto in frontem adacto enſe, omnibus admirantibus, proſterneret.

Nec longiùs me venantem ab re abductum exiſtimo, dum non temerè dictum puto, Simulacrum, quod haud longè ab eodem Antonino iacens cernitur, nil aliud referre, quàm ab illo, & fortaſſis eadem in regione, venatu captam prædam. Videmus equidem om-

nium

1. nium pulcherrimum Simulacrum, ſcalpro depromptum ex marmore, molliſsimum ſimul, ac robuſtiſsimum, nudato corpore, Viro dormienti ſimile, dexterum brachium hederacea corona redimito capiti ſupponens ad occipitium; tam inſigniter omni ex parte elaboratum, vt vniuerſi quà pingendi, quà ſculpendi celebriores Artifices in eius admirationem conuolantes, vnanimi conſenſione, æſtiment, laudatiſsimo id ſęculo, à celeberrima antiquitatis manu efformatum; nec præ illo quotquot in Vrbe, atque Orbe ipſo Statuæ viſuntur, maiorem exhibere artis præſtantiam, aut documenta meliora; adeò vt illi nihil ad Opus vndique abſolutiſsimum ipſa ab Arte addi poſsit. Porrò viuum in eo, ſpirantemque, primò intuitu, ex primarijs Dijs aliquem credas expreſſum: verùm induant Vitia quantumuis amabilis pulchritudinis ſpeciem, perfidiæ tamen nota aliqua detegit fallacem aſpectum: etenim, ſi attentiùs intuearis, aures, more beſtiarum acutas, inter hederas, comamque, inuitas quodammodò erumpere videas, caudamque, ſub ipſo femine quaſi compreſſam, ſeſe motare interdum agnoſcas; quam quidem primo aſpectu deſcendere dixeris ab ipſis Hyrcanæ Tigridis exuuijs, ex ſiniſtro brachio pendentibus, & veluti culcitra adhibitis; quæ haud habenda crediderim ſuperatæ

feri-

feritatis ſpolia, ſed ipſius feritatis arma, quibus ille facilè, cùm opus ſit, ſeſe obuoluere promptus valeat, ad feritatem. Iam mentitus homo, detectaque fraus apparet; iam, quod Antiquitas finxit, agreſte Seminumen, appellauitque Faunum, habemus, impuris affectibus plenum, quales ſunt Cornigeri, Corniger & ipſe, vt Poëta teſtatur;

*Cornigerumque caput pinu præcinctus acuta* *Ouid. Oenon.*

*Faunus, in immenſis quà tumet Ida iugis:*

Caſtæ, Venationis præſidi, Deæ inimicus, auerſuſq; ab ipſa Venatione, quæ Venerem auertit. Hoc autem certum eſt, ſuperioribus annis, Summo VRBANO Pontifice iubente, Aelia dum Arx præmunitur, foſſæque altiores, & ampliores redduntur, hanc Fauni Statuam, ingenti gleba, cum ipſa olim impietate, altè defoſſam, in lucem nouam, ad ipſius veteris ſuperſtitionis contemptum, & in artificij venuſtatem, & elegantiæ pompam, eſſe eductam. Hoc pariter notiſſimum eſt, Sepulcralem illam Molem, non Adriani tantùm, ſed & ſui, & reliquorum Cæſarum Antoninorum Cineribus extructam eſſe ab Antonino; cui nomen indidit Pium ipſa in defunctos Cæſares pietas, hoc etiam monumento teſtata. Fallor, niſi Antoninus Philoſophus, qui Pio ipſi Antonino ſucceſſit in Impe-

rio,

rio, quique, amore Sapientiæ incenſus, eas magis damnabat delictorum ſordes, quæ ex damnata voluptate ſunt, & effrænatas libidines, tanquam belluas, inſequebatur; quaſi attollens de capto, venatu, Fauno tropheum, hoc eſt de prædata laſciuientis animi indomita cupiditate, hac eius Statua Molem illam exornauerit, cui imponenda erat ſui ipſius cineris Vrna; eamque pudicæ Dianæ dicauerit.

At habeant prorſus, ſubdet aliquis, ſeſe res, vt tute meditaris; quid porrò cum integerrimo Philoſopho M Cæſare pulcherrima Venus, cuius nobiliſſimum Simulacrum haud longè ab eius femore diſtat? Metire, inquam ego, intermedia ſpatia, propiorem Ciceroni reperies, Socraticis manibus, tanta venuſtate, ac decore elaboratam Statuam, vt ipſa Iuno, ſi adeſſet, omni ſimultate depoſita, quod Venus præ manibus habet pomum, iure merito ei tanquam pulchriori datum candidè prædicaret. Sed, vt noſtra hinc ad carceres redeat Oratio, Venerem hanc, quæ in omnibus propè diuinis M. Tullij ſcriptis elucet, ipſam eius cum decore venuſtatem referre crediderim; &, quemadmodum Venus hæc, non nudatam omnem corporis partem offert inſpiciendam; ita non ſemper nobis omni ſtudio incumbendum, vt in oculis omnium ſeſe præ-

beat

beat apertam eloquentiæ Venus; nimius enim ſui oſtentus inuenuſtas eſt: ideò ad ſiniſtram noſtra hęc Venus honeſtè tegitur.

Quamobrem opportunè Narciſſi Statua, Ciceronis conſilio, hìc appoſita eſt Veneri proxima. Qui ſibi enim nimiùm in dicendo blandiuntur, & inanem ſuę dictionis imaginem, puerilibus luſibus, & ornamentis expreſſam, perditè amant, perquàm facilè in Narciſſi miſeriam incidunt, incautoque ſui amore pereunt. De huius interim Simulacri laudibus, eius ornamento, libenter hìc addo Carmen, in Muſarum hortis, ipſum fragranti ſuauitate imitans Narciſſum; quod nuper mihi humaniſſimè communicauit Præſul digniſſimus Angelus Giorius, qui Pontificio Cubiculo præeſt, ex Aemilij Sibonij, ſui à ſecretis, peramœno, & culto ingenio decerptum; tale autem eſt: N

*In lacum pronus vitreum refuſi*
*Fontis admorat patulo rubella*
*Ore Narciſſus labra; nec propinquum*
*Traxerat hauſtum.*
*Forma delectat Iuuenis ſupina*
*Suauium oſcillo velut offerentis;*
*Totus, vt vidit, perijt; ſitim & ſuſpendit ab vndis.*

 *Ipſe*

*Ipſe fontana faciem tabella*
*Pingit aſpectus, minium niuales*
*Per genas lucet, caput in capillo*
*Fulgurat aureo.*

*Annuit, geſtit, tenerumquè ridet*
*Credulus; geſtu, ſimiliquè nutu,*
*Et ſimul reſpondet, ocelluliſquè*
*Ridet imago.*

*Porrigit dextram celer implicare,*
*Quum liquor turbatam agitans quietem*
*Vndat, & nullus tremulo videtur*
*Gurgite vultus.*

*Queſtus effugiſſe ſibi, miſellos*
*Lacrymis implens oculos obortis*
*Se ſibi crudum vocat, & fugacem*
*Se ſibi quærit.*

*Dein vagos ponens requieta motus*
*Lympha, Narciſſo ſpeculare fundum*
*Reddit, iniuſtuſquè iterum intuentem*
*Faſcinat error.*

*Ardet, & flammas aqua pertinaces*
*Nutrit illudens, color & reflexus*
*Perditi deſiderium, & manus fru-*
